De ratione

quam

Terentius in fabulis Graecis Latine convertendis

secutus est

commentatio.

Scripsit

J. KOENIGHOFF.

Pars prior.

COLONIAE
typis descripsit J. G. Schmitz.
1843.

Inter magna quae litteris antiquis importata sunt detrimenta non ultimo mihi loco illud ponendum videtur, quod ne una quidem fabularum Graecarum novae quae dicitur comoediae tota et integra ad nos pervenit. Neque tamen poetarum qui in hoc genere elaborarunt numerus perexiguus fuit [1]), et pro se quisque fabulas satis multas scripsit. Ut eorum tantum quos Anonym. de comoed. praestantissimos (*ἀξιολογωτάτους*) nominat mentionem faciam: Apollodori Carystii sive Atheniensis fuerunt fabulae XLVII [2]), Diphili C [3]), Menandri CVIII [4]), Philemonis XCVII [5]), Philippidae XLV [6]), Posidippi circiter XXX [7]). Sed harum omnium, quanquam non paucas fuisse vides, nihil iam nisi reliquias quasdam misere adeo plerumque habitas superesse est sane quod doleas, et magis etiam sine dubio dolebis, si non temporum iniquitatem neque inimicam quandam vim, sed importunam pietatem nobis invidisse et eripuisse haec ingenii monumenta audiveris.

A Byzantinis enim Caesaribus cum instigarent sacerdotes igni deleta esse tradit Petrus Alcyonius qui ita scribit: »Audiebam etiam puer ex Demetrio Chalcondyla Graecarum rerum peritissimo sacerdotes Graecos tanta floruisse auctoritate apud Caesares Byzantinos, ut integra illorum gratia complura de veteribus Graecis poemata combusserint, imprimisque ea ubi amores turpes lusus et nequitiae amantium continebantur, atque ita Menandri Diphili Apollodori Philemonis Alexis fabellas, et Sapphus Erinnae Anacreontis Mimnermi Bionis Alcmanis carmina intercidisse, tum pro his substituta Naziazeni poemata.« Conf. Fabric. Bibl. Graec. II, p. 460.

Sunt sane quidem de hac re qui nos consolari posse opinentur, cum Plauti et Terentii exstent fabulae ad principum poetarum Graecorum exempla fideliter accu-

rateque expressae [8]), sed ea ipsa res unde solatium petere iubemur haud scio an dolorem nostrum augere etiam possit. Inde enim cum omnibus Latinorum poetis comicis [9]) tum Terentio id incommodi exstitit ut, cum comparatio accurata et plena inter eius fabulas et exempla quae secutus est institui hodie nequeat, diiudicari non semper possit, quatenus in universa compositione atque oeconomia et in singulis partibus suo sibi iudicio usus sit ac steterit. Unde factum est ut exstiterint qui Terentium anxie Graecorum poetarum vestigia nusquam non persecutum esse pronuntiaverint verbum pro verbo reddentem, et quidquid bene aut male in eius fabulis institutum sit huic auctori non esse tribuendum. Conf. Casaub. ad Persium IV, p. 55, et Fr. de Raumer. Act. Acad. Berol. a. 1828 p. 181 sqq. [10]). Atque ad hanc opinionem facile perducere potest ratio scholiastae, qui plus semel Terentii verba ut in libris scriptis ferebantur mutanda adeo censuit propterea, quod non plane responderent Graecis, qua de re in *commentatione de scholiastae in Terentium arte critica* quae praemissa est indici scholarum Gymnasii Aquisgranensis a. 1840 quaedam dixi p. 13 sqq.

Magis etiam huc facere videri possit ipsius Terentii testimonium qui Adelph. prol. v. 10 et 11 se Diphili comoediae cui nomen est Synapothnescontes locum sumpsisse in Adelphos *et verbum de verbo expressum extulisse.*

Et ne aliquid celasse videar, attulit utique scholiasta hic illic in comparationem verba Graeca quae Terentianis plane respondere negari non potest. Huius generis est Phorm. IV, 1, 9: *Senectus ipsast morbus* et Graeca Apollodori quae scholiasta ibi servavit: *τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα.* Ibid. v. 21:

Num ego meorum solus sum meus,

et eiusdem Apollodori:

Ἐγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος. [11])

Ibid. III, 3, 30:

Solus est homo amico amicus,

et Apollodori:

Μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἐπίσταται. [12])

Hecyrae verba II, 1, 17:

Tu inquam mulier quae me omnino lapidem non hominem putas,

scholiasta comparavit cum Apollodorianis quae corrupte leguntur in libris ita: σύ με παντάπασιν εHCATλιθον. Postquam Westerhovius satis inscite haec sanare voluit hoc modo: Σύ με παντάπασιν ἡγήσαιο λίθον, probabiliorem rationem inierunt Benfeius et Meinekius quorum ille Terent. Germanice convers. p. 231 reposuit: σύ με παντάπασιν ἥγησαι λίθον, hic Fragm. Graec. com. vol. IV, p. 445 scribendum censet: Σύ με παντάπασιν ἡγεῖ δὴ λίθον. Possunt huc quodam modo referri Phorm. III, 2, 22 et 23:

Immo id quod aiunt auribus teneo lupum,
Nam neque quo pacto a me amittam, neque uti retineam scio. [13])

Ibi scholiasta adnotavit: »Graecum proverbium: Τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον: οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.« Et ibid. IV, 3, 56: *Quid si animam debet?* ubi iterum scholiasta scribit: »Graecum proverbium: Τί δέ; εἰ τὴν ψυχὴν ὀφείλει.«

Et numerus eorum locorum quibus Terentiana totidem paene dixerim constare verbis quot Graeca, si horum quae servata sunt ubique vera genuinaque scriptura praestari posset, haud scio an facile etiam augeretur. Neque ego is sum qui infitias eat, Terentii si revera hanc semper inisset rationem poeticam virtutem et praestantiam, dummodo ulla ei concedi posset, non ita magni aestimandam esse. Sed haec insignis cuiusdam inter Latinum et quem hic imitatione effingebat Graecum poetam similitudinis exempla haud scio an tantum absit ut Terentio officiant, ut suspicionem illum ubique se poetae quem interpretatur in servitutem quasi addixisse ab eo removere videantur. Advertit scilicet scholiastam sicubi Graeca et Latina nihil fere inter se differre vidit ita, ut quod cum lectoribus communicaretur dignum haberet. Poeta autem Latinus si hunc morem semper tenuisset quid tandem causae excogitari posset ut talia hic illic adnotare plerumque negligere scholiastae in mentem venerit?

Ne autem vel sic Terentio quisquam id exprobrandum ducat, hoc teneri velim. Apud Romanos nihil offensionis habuisse si singulae sententiae ad verbum adeo expressae erant e Graeco exemplo, inprimis cum talis similitudo magis sponte nata quam anxie et de industria quaesita esset, non solum inde patet, quod alii quoque poetae veteres non minus idem fecerunt, quam ii qui Augusti aetate floruerunt, sed effici etiam inde potest, quod quantum sciam nunquam neque Terentio a maledico eius obtrectatore neque aliis de hac re exprobratum est, ad servum imitatorum pecus eos reccidisse. Iis qui Graece scripta Latinis litteris tradituri erant, si quam apud viros liberali doctrina excultos operae et laboris laudem habituri erant, haec lex tenenda erat, ut ne horrida incultaque uterentur oratione.

Itaque Terentius ipse non dubitavit fabulas suas a pura qua scriptae essent oratione spectatoribus commendare. Conf. Heaut. prol. v. 46. Hanc autem rationem qui ineundam sibi esse ducunt non tam curant, ut eius quem reddituri sunt verba quam vim exprimant, quod fecisse Ennium Pacuvium Accium multos alios Cic. Acad. post. I, 3, 10 testis est.

Itaque scribit Hieronym. *Epist. ad Pammach. de optimo genere interpretandi*: »Terentius Menandrum Plautus et Caecilius veteres comicos interpretati sunt. Num quid haerent in verbis ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant quam veritatem interpretationis?» Contra apud Ciceronem de Fin. I, 2, 5 Attilius qui Sophoclis Electram male converterat a Licinio [14]) ferreus scriptor nominatur, et Epist. ad Att. XIV, 20, 3 hoc versu allato:

Suam cuique sponsam mihi meam, suum cuique amorem mihi meum

»non scite», inquit Cicero, »hoc enim Attilius poeta durissimus.» — Eodem vitio Luscius iste Lanuvinus laboravit in fabulis,

Qui bene vertendo et easdem scribendo male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Conf. Terent. Eunuch. prol. v. 7 et 8. Itaque illius et similium obscuram diligentiam Terentius se aemulaturum non esse dicit Andr. prol. v. 20. Neque aliter iudicasse eos credibile est penes quos laus locutionis emendatae et Latinae erat. Atqui »omnes tum fere qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur«; Ciceronis verba sunt Brut. 74, 258. Terentium autem in exprimendis Graecorum fabulis eleganti puroque sermone usum esse, et fabulae eius ostendunt et eorum qui ipsi hac laude maxime florebant iudicio constat. Ita enim Cicero scribit Limone:

Tu quoque qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.

Et C. Caesar [15]):

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis [16]),
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres;
Unum hoc maceror et doleo tibi deesse, Terenti.

Conf. Suetonii vita Terentii.

Hic autem poeta tametsi inter omnes sui temporis scriptores incorrupta quadam Latini sermonis integritate et elegantia maxime excellebat, recte tamen dubitaveris num eius fabulae placiturae fuissent, si nihil nisi interpretis munere strenue functus esset. Scilicet poetae Latini scenici quamquam satius esse ducebant ea quae Graeci divina quadam arte et invenerant et depinxerant in Latium transferre, quam novitatis laudem sibi quaerere [17]), eam tamen rationem fere sequebantur, ut suum adhibentes iudicium libere in imitando versarentur. Hoc eo inprimis consilio factum est, ut si quid in poematis Graecis, ad quorum exemplum sua adtemperabant, inveniebant quae a popularium institutis moribus sentiendi cogitandique ratione abhorrebant, aliquo modo mitigarent et Latino paene dixerim colore leniter obducerent et

quasi adumbrarent [16]). Nullis autem eius rei gravior et iustior adfuit causa quam poetis comicis.

Comoediam enim imitationem vitae speculum consuetudinis esse cum Cicero et iam antea Livius Andronicus dixerint, si fides scriptori *de comoedia* p. LVII apud Westerhov. (p. XVI edit. Klotz.), Romani spectatores, qui fere est sui et suarum cuique rerum amor, haud inviti videntur passi esse poetas palliatarum (de his solis nunc agi non est quod dicam) miro quodam artificio, quamquam in Graecia ipsa aut Graecis saltem urbibus fabulas agi volebant, passim Romae vicos vias magistratus commemorare, homines qui prodeunt ea non raro sentientes et dicentes facere, ut non Graecos Latine loquentes repraesentari dicas, sed omnia pura puta esse Latina. Et in hac quidem re Plautus summa fere licentia Terentius multo modestius versatus est atque ita, ut prima et summa illa lex quae in omnibus ab arte profectis operibus regnet necesse est, et ab Horatio (A. P. v. 23) poetis quoque praescripta est, servata sit.

At quis dixerit, cur poetae saepe palam profitentes id sibi negoti esse populo ut placerent quas fecissent fabulas (conf. Terent. prol. Andr. et Eunuch. init.), si Romanos ea teneri cupiditate ac studio sciebant, Graecorum maluerunt vestigia qualicunque modo sequi, quam eam quae ita videbatur via monstrari ingredi? Talia curiose quaerenti infra plura quaedam respondebuntur, atque id iam unusquisque spero fore ut sentiat et concedat Romanorum gravitatem vix tulisse, vitam suam et privatam et publicam a Plauto Sarsinate nec nobili genere nato, aut Terentio et Caecilio captivis fabulam fieri in risumque verti. Aliud enim est ab homine quodam argumentum comoediae petere, aliud in argumento aliunde petito ea quae cum homine quodam modo coniuncta sunt tantum respicere.

Jam oratio nostra eo deducta est ut singula persequentes accuratius nobis inquirere videamur posse quo modo Terentius Graecornm exemplis usus sit; neque id melius arbitror institutum iri, quam a re metrica si exordium capietur. Nemo enim cum facile dixerit, nisi forte

Quintilianum X, 1, 100 [19]) in hac sententia fuisse statueris, Latinorum verba iambicis solis versibus bene includi, nec ulla arte commode trochaicum vel aliud metri genus admittere; neque in fama et laude Terentio detrahenda ne quis eo procedat verendum sit, ut dicat hunc poetam id latuisse, quod quilibet non prorsus invita Minerva qui exercet artem musicam sentit, metrum sententiis congruat oportere: a Terentio iudicium vertendis Graecorum fabulis adhibitum fuisse iam concedendum est, ubi apparuerit, poetae Latino interdum hac in re a Graeco recedere visum esse. Subit autem hic Terentiani scholiastae socordiam ac negligentiam mirari, cum quod sciam huius gravissimae rei nusquam iniecerit ullam mentionem. Nihilo minus res non prorsus in obscuro et incerto posita est. Etenim Marii Victorini II, p. 1523 (apud Rufin. de metris com. p. 2707) verba sunt haec: »Quantum autem ad metrum comicum spectat, scio plurimos affirmare Terentianas maxime fabulas metrum et disciplinam Graecarum comoediarum non custodiisse, id est quas Menander Philemon Diphilus et ceteri ediderunt. Nostri enim in modulandis metris seu rhythmis veteris comoediae scridtores sequi maluerunt, id est Eupolin Cratinum et Aristophanem. Prologos itaque et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt, deinde longissimos id est tetrametros subdiderunt qui appellantur quadrati. Postea in consequentibus variaverunt; modo enim trimetros modo addito quadrante vel semisse posuerunt id est semipede adiecto, vel integro pede iambo vel sesquipede. Haec per medios actus varie. Rursus in exitu fabularum quadratos quales diximus in secunda scena locarunt.« Haec ille. Id saltem hoc testimonio quanquam esse quae non satis recte et accurate explicata dixeris effici potest, genus et ordinem metrorum Terentianorum non semper respondisse Menandro et Apollodoro. Et haec quidem res exemplis confirmatur. Quis enim non videt Menandrea, quae servavit Stob. Flor. XCVI, 11 (apud Meinek. Fragm. vol. IV, p. 71):

Πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ γὰρ
καὶ παντὰς αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει·

ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον
ἅπαντα τἀνιαρὰ, Λαμπρία, φέρει,

Terentium hoc modo Latine expressisse Adelph. IV, 3, 14—16:

Omnes quibus res sunt minus secundae magis sunt nescio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis,
Propter suam impotentiam se semper credunt claudier. [20])

Constant autem Graeca trimetris iambicis, Latina octonariis. — E Menandri Adelphis apud Ammonium p. 41, et Eustathium ad Iliad. p. 191, 25 (Meinek. l. c. p. 70) exstat hic trimeter:

Εἰ δ'ἔστιν οὗτος τὴν κόρην διεφθορώς.

Sive comparaveris huic versui Terent. Adelph. III, 1, 8 sq. quod Valkenarius fecit,

E re nata [21]) *melius fieri haud potuit quam factum est, hera,*
Quando vitium oblatum est quod ad illum pertinet potissimum,

loco senarii habes trochaicos quadratos, sive cum Meinekio conferendum putaveris III, 2, 10:

Cui miserae indigne per vim vitium obtulerat,

Terentius additis verbis: *non intellego* substituit tetramemetrum iambicum acatalectum. Idem factum est Andr. III, 5, 5:

Posthac incolumem sat scio fore me nunc si devito hoc malum.

Haec Menandrea enim scholiasta refert Terentiano versui respondere: *ἂν θεὸς φεύγει οὐκ ἂν ἀπολυμπτε.* Quatumvis diversa pericula fecerint hinc sententiam et versum eliciendi Casaubonus Jacobsius Grauertus Meinekius qui l. c. p. 83 hunc in modum illa censet persananda

Ἐνθένδ' ἀποφυγὼν οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ,

omnes tamen in eo consentiunt Graeca fuisse senarium. — Eadem prorsus ratio est Hecyr. II, 1, 17. Conf. supra p. 5. — Verba Graeca quae Photius v. *Σκυθρὸς* e Menandro fabula non nominata affert:

Ἐγὼ δ'ἀγροῖκος ἐργάτης σκυθρός πικρός
φειδωλός,

multi attenderunt respondere his Terentianis Adelph. V, 4, 12:

Ego ille agrestis saevus tristis parcus truculentus tenax
Duxi uxorem.

Frustra autem laboravit qui formam φιδωλὸς prima brevi restituendo Graeca uno tetrametro includere tentabat (conf. Meinek. l. c. p. 72) non animadvertens ut videtur versus Terentianos esse e trochaico tetrametrorum genere. — Eadem metri diversitas videtur esse Hecyr. III, 3, 20:

Omnibus nobis ut res dant sese ita magni atque humiles sumus,

et in Apollodori verbis quae scholiasta Terentianus adscripsit: Οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν καὶ ταπεινός, ab aliis aliter a Meinekio l. c. p. 445 ita in metrum coacta:

Οὕτως ἕκαστός ἐστι διὰ τὰ πράγματα
ἢ σεμνὸς ἢ ταπεινός.

Heaut. II, 4, 4 verba Graeca ut videtur Menandri in codice Bembino leguntur haec teste Spengelio ad Varr. L. L. p. 118 adscripta:

Τἀνδρος χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Τἀνδρὸς equidem dedi, Meinekius l. c. p. 111 Ἀνδρὸς scripsit, in codice exstat vitiosum: λανδρος. Sunt autem haec aperte senarius, sed Terentiana:

Nam mihi quale ingenium haberes fuit indicio oratio,

trochaicus septenarius.

Omnia quae attulimus exempla argumento sunt Terentio interdum visum esse, etiamsi sententiis cum exemplari Graeco concineret, metrorum tamen genere discrepare. — At sunt fortasse qui adsensum cohibendum et in alteram partem in nonnullis quidem disputandum putent propterea, quod aut de iusta ratione emendationis factae dubitari, aut id saltem evinci et comprobari non possit, Graeca illa integros plenosque esse versus, neque partes versuum. Eiusmodi autem dubitatio non solum fieri potest ut tollatur, sed concludendo ni fallor plus etiam effici potest. Ut illud enim liberaliter dem fieri fortasse posse, ut Graeca verba quae corrupta in libris

exstant alia quadam ratione quam a viris doctis, quorum supra mentionem feci, non male inita integritati suae videantur restituenda esse, illud tamen a me non possum impetrare ut putem, illas quas supra posui Menandri et Apollodori reliquias, quae aliquo modo in libris depravatae metrum non statim produnt, fuisse primitus eodum metri genere inclusa quo apud Terentium quae respondent decurrunt; neque id alii facile concesserint haec qui secum reputaverint. Apud Terentium qui aliquam cum hoc poeta familiaritatem contraxerunt sciunt omnes non ita raro inveniri iambicos octonarios. Hoc autem metro comici Graecorum non sunt usi. Conf. Hermann. Element. doctr. metr. p. 158, et Meinek. Fragm. Com. Gr. vol. I, p. 442. Neque trochaicos tetrametros acatalectos, qui apud Terentium non sunt infrequentes, in scena Graecorum auditos esse, nusquam certe in his quae ad nos pervenerint tragicorum comicorumque reliquiis inveniri idem Hermannus l. c. p. 90 statuit. Itaque mihi iam non male videor ratiocinari hoc modo. Omnibus iis locis quibus Terentius admisit octonarios trochaicos aut iambicos etiamsi illi loci ad verbum e poeta Graeco expressi essent, apud hunc aliud metrum fuit; atque trimetros plerumque hos ipsos fuisse coniicere liceat e verbis Anonym. de com. p. XXXII, ubi memorat: *ἡ μὲν νέα κατὰ τὸ πλεῖστον στρέφεται περὶ τὸ ἰαμβικόν, σπανίως δὲ μέτρον ἕτερον* [22]). Contra ex iis versibus qui ex alio quam iamborum genere in Diphili et Menandri comoediis raro quidem inveniebantur fuisse Eupolideum polyschematistum, de quo conf. Herm. l. c. p. 578, Marius Victorinus refert p. 2551. Huius autem versus nullum exstat exemplum in Terentii fabulis.

Non id quidem mihi sumo ut diiudicare velim, utrum poeta Latinus prudenter talia novarit necne, hoc tamen sentire atque intelligere mihi videor, eum non male usum esse metrorum genere quodcunque elegit. Terentium autem, si hac in re suo sibi iudicio standum esse existimavit, in singulis quoque verbis sententiis ipsa adeo fabulae dispositione ad suum interdum egisse arbitrium quodam modo iam augurari liceret, etiamsi id non prorsus

exploratum haberemus. Sed huius ipsius rei indicia certaque testimonia exstant, ex quibus in unum collectis quam rationem ingressus sit in singulis saepe liquido demonstrari, in universum saltem animo concipi effingique possit.

Et primum quidem quanquam poeta Latinus Graecum fabulae quam convertebat nomen fere retinuit [23]) hac in re Plauti exemplum non secutus quem notum est plerumque fabulae, nisi a persona quadam nominabatur, barbarum nomen dedisse, hanc tamen legem non ita sibi latam esse existimavit ut nunquam migraret. Apollodori igitur Ἐπιδικαζόμενον ipse vocavit Phormionem, qua de re pluribus exposui in indice scholarum gymnasii Aquisgranensis a. 1840 p. 19 sqq.

Eodem pertinet quod plus semel personarum nomina mutavit. Ad Persii sat. V, v. 161 sqq. glossator haec adnotavit: »Hunc locum e Menandri Eunucho traxit in quo Davum servum Chaerestratus adolescens alloquitur tanquam amore Chrysidis derelictus, idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. Apud Terentium personae immutatae sunt.» Recte hoc; poeta enim Latinus Davum nominavit Parmenonem, Chaerestratum Phaedriam, Chrysidem Thaidem. Neque nomina parasiti militisque gloriosi, quas personas e Menandri Colace in Eunuchum se transtulisse ipse prol. 30 sqq. testatur, eadem servavit, sed illum cui Menander Struthiae nomen imposuerat Gnathonem vocavit, hunc Thrasonem cum a Menandro Bias dictus esset. Conf. Meinek. Menandr. et Phil. reliq. p. 98 et 99. Huc pertinet quoque quod scholiasta Eunuch. V, 5, 1 memoravit: »Adnotandum quod huius senis nomen apud Terentium non est, apud Menandrum Simon dicitur.» In ipsa quidem fabula Latina hic senex nusquam suo nomine appellatur, sed in personarum indice exstat Laches et in codicibus nunc initio earum scenarum videmus hoc nomen appositum in quibus producitur. Conf. Grauerti Analect. histor. et philol. p. 158. — In Adelphon fabula a Terentio Lampriae nomen cum Micione commutatum esse Meinek. l. c. p. 7 recte iam collegit e fragmento quod supra p. 9 sq. adscripsimus.

Huius a Terentio factae mutationis causam mihi videntur continere ea quae scholiasta ad Adelph. I, 1, 1 adnotavit: »Nomina personarum, in comoediis dumtaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere [24]), vel nomen personae incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno, infidelis vel Syrus vel Geta, miles vel Thraso vel Polemon, iuvenis Pamphilus, matrona Myrrhina, et puer vel ab odore Storax, vel a ludo et gesticulatione Circus, et item similia; in quibus summum poetae vitium est si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit cet.» Conf. quae Lessingius vol. VII, p. 401 edit. Lachm. (sive XIII, p. 262 sqq. edit. Carol.) in hanc rem egregie exposuit, nisi quod personati Aristotelis locum Poet. c. 9 quem persanavit Ritterus male in auxilium vocavit. Hoc igitur Terentius ni fallor spectavit in hac re, ut personis nomina inderet, quae eorum moribus magis responderent quam a Menandro imposita.

Expositis quae ad externam dixerim fabulam pertinere ad ea iam ubi Terentium a poeta Graeco in singulis verbís vel sententiis recessisse mentione alicunde facta constat progredimur a levioribus ad graviora transeuntes. Nullius fere momenti est in eam rem qua de nunc agitur si ad Phorm. IV, 3, 63: *sexcentas proinde scribito iam mihi dicas* adnotatum legimus Apollodorum dixisse *μυρίας*. Nam hoc scholiasta iam perspexit ad consuetudinem utriusque sermonis referendum esse. Poeta autem Latinus cum Hec. III, 4, 26. Callidemiden quendam Myconium quem Apollodorus *φαλακρὸν* (calvum) dixerat *crispum* esse voluerit, nonnullis imperite hoc fecisse, et Eunuch. IV, 4, 23. Menandri illud *γαλεώτης γέρων* non intellexisse visus est utpote qui ipse substituerit *senem colore mustelino.* Sed consulto et scientem hoc fecisse pluribus demonstravi l. c. p. 15 sqq.

Et haec quidem sunt exempla quibus patet Terentium singulis adeo verbis quae in exemplari Graeco legebat significationem aliam esse substituendam existimasse. Sed in his non substitit. Adelphorum principium a Varrone

praelatum esse principio Menandri auctor vitae Terentii refert. Ut Varro vir ingenio praestans omnique doctrina nonnullis harum rerum non satis idoneus iudex videatur esse, id quidem hoc testimonio efficitur Terentianae fabulae exordium a Menandreo diversum fuisse, quamquam nescimus quatenus et qua in re hoc factum sit. Quae enim Fr. Hermannus in indice lectionum per aestivum semestre a. 1838 in academia Marburgensi habitarum suspicatus est p. III sqq. vereor ut probabili ac firma innitantur ratione [24 b]).

Adelph. V, 8, 15. ab scholiasta adnotatum legimus haece: »Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur, ergo Terentius εὑρητικῶς.» Quod quale sit ut diiudicari possit, de personis et rerum serie breviter exponendum est. Demea ubi labore non parvo quem ut filiorum commodis consuleret per totam vitam tulit tantum tamen abesse vidit, ut amor liberorum sibi partus esset, ut in odium se venisse arbitraretur, Micionem autem fratrem clementem placidum amari diligi cum videret, iam ipse experturus erat, num blande dicendo atque obsequendo sibi favorem conciliare posset, hac ipsa tamen re demonstraturus, quod frater facilis et festivus putaretur id non fieri ex vera vita neque adeo ex aequo et bono (conf. V, 9, 30). In hac tamen nimia quam ostendit in filios non minus quam alios facilitate et liberalitate id inprimis agit, ut fratri molestus sit et incommodet, atque dum hunc ut putat suo sibi gladio iugulat voluptatem capiat. Vel eo igitur procedit ut a Micione iam sexaginta quattuor annos nato (V, 8, 15) postulet anum decrepitam in matrimonium ducere. Atque hic aliquantum reluctatus vinci se patitur.

Haec tota ratio a Lessingio existimatore non levi l. c. p. 443 sqq. (sive p. 335) graviter improbrata est, in qua fieri non potuisse putet quin spectatores paulo subtilioris iudicii multum offenderint. Hocine omnino recte iudicatum sit necne nunc meum non est quaerere. In utrum tamen huius rei parum convenienter institutae culpa cadat in Menandrum an Terentium an in utrumque ambigitur. Et Lessinguis quidem eam in Latinum

poetam transfert eumque secutus est Meinekius l. c. p. 2 sq. qui Terentium cum suis pedibus incedere tentaverit non optime sibi consuluisse pronuntiat. Omne huius rei momentum in ratione positum est qua verba scholiastae supra transscripta interpretanda esse duxeris. Et hi viri quod mihi videntur credidisse a poeta Graeco nihil tale ineptum proficisci potuisse, scholiasta quae scripsit in hanc sententiam acceperunt: *Apud Menandrum seni nulla exhibetur molestia propter nuptias* h. e. *illud de matrimonio ineundo a Menandro auctore omnino non profectum est sed a Terentio additum.* Sed adesse putaverim propter quae recte dissentire possis. Illud enim nemini mirum esse non potest, nos ab scholiasta de hac re non statim in ipso huius scenae initio ubi id agi coeptum est edoceri, aut quo nullo aptiore loco id fieri poterat, et quo id siquidem scholiasta huius rei mentionem iniecturus erat quam maxime fieri oportuit v. 10: *Hanc te aequomst ducere,* sed in medio demum de hac re colloquio. At Lessingius ipsam loquendi rationem ut scholiastae verba in eam quam ipse statuit sententiam accipiantur postulare contendit cum dictum sit: senex de nuptiis non gravatur, neque vero: nuptias non gravatur. Contra Grauertus l. c. p. 146 sqq. pronuntiavit, illud si scholiasta verbis exsecuturus fuisset necessario ei scribendum non fuisse: de nuptiis, sed tantum nuptiis praepositione omissa. Sed si quid video uterque falsa opinione ducitur. Verbum *gravandi* retinuit non paucis locis activam formam et propriam principalemque suam vim quae in eo est ut idem fere significet ac valeat quod Latini dicunt *onerare, onus imponere.* Conf. Tacit. Annal. I, 20: *quem dereptum vehiculo sarcinis gravant;* Ovid. Met. XIII, 812: *sunt poma gravantia ramos;* Hor. Epist. II, 1, 264: *officium quod me gravat.* Itaque Justinus XIV, 2. passive dixit: *ne obsidio ipsa multitudine gravaretur.* — Satis autem constat gravari ea fere praeditam esse potestate ut sit aegre aliquid ferre, invitum et gravate aliquid facere, aliquid recusare, detrectare. Haec vis ubi ei subiecta est plerumque accusativum rei quam gravamur adsciscit. Per se autem si rem spectas

qui dubitare possis, quin de re gravari hic recte dicatur, et quidni, praesertim a scholiasta eius aetatis quae a maiorum loquendi usu iam multum recesserat, de aliqua re gravari is dici possit, cui molestiae propter aliquam rem afferuntur, ut praepositio de pervulgatissima vi praedita id significet quod Germani dicunt in Hinsicht auf, in Rücksicht auf? Simile utique est quod Latini dicunt et rem et re et de re dolere, conqueri de iniuria et iniurias saevitiam vim. Atque Graecorum *ἀπορεῖν τινός, τινί, τι* in comparationem mihi videtur apte venire posse. Sola igitur eiusmodi ratiocinatione aut parum aut nihil hoc loco effici vides, sed neque Terentius neque scholiasta ipse nos ni omnia me fallunt destituerunt. Poeta enim Latinus paulo post v. 19 dicit: *ne gravere* [25]), et scholiasta hoc explicat his verbis: „ne te difficilem praebeas". Itaque mihi quidem verisimile non videtur scholiastam hoc verbo et alia affecto potestate usum esse, neque tamen quidquam, si suo tempore diversitas significationis invaluisset, v. 19 data occasione praeter morem ne uno quidem verbo de ea re monuisse. Quamobrem non possum quin huius scholii hanc sententiam esse putem: Menander senem cum ab eo ut Pamphilae matrem duceret peteretur non ita gravate agentem sed satis facilem petentibus se praebentem fecerat. Scilicet poeta Graecus hic quoque *ἦθος* Micionis servandum censuit, et qui semper omnibusque fere facilis erat aliorumque voluntati morem gerebat, hunc Demeae fratris eiusque filii precibus haud ita difficulter cedentem induxit. Aliter visum est poetae Latino. Hic quoque fecit senem tandem exorari atque vinci, sed multum antea restitantem et reluctantem, et haud scio an hoc videri possit gravissimis argumentis factum esse v. 15 ad quem ipsum scholiasta illud adnotavit:

Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam!

Terentius autem quod ita actionem aliquo modo dilatavit mirum non erit. Ita si Andr. act. V, sc. 3 e Menandro translatam esse scis, versum 20:

Domus uxor liberi inventi invito patre,

vix credideris Menandreum non esse, si id certo scholiastae testimonio comprobatum non videas. At »mira gravitate» inquit ille »sensus elatus est nec de Menandro sed proprium Terentii.» — Neque inconsulto et imprudenter Terentius mihi egisse videtur cum in Adelphorum fabula Hegionem, qui Menandro Sostratae frater erat, cognatum Pamphilae Sostratae filiae fecit. Conf. schol. ad III, 2, 53. Ita enim his mulieribus maior excitatur misericordia graviorque iam earum egestas et solitudo apparet (III, 2, 5). Et nomen quoque Pamphilae patris apud Menandrum non fuisse necesse est concedas, quae est sententia Grauerti l. c. p. 145 sqq. aut scholiastam summae arguas socordiae et negligentiae. Haec enim eius verba sunt ad III, 2, 54: *nam is nostro Simulo fuit summus* prolata: »Simulus nomen patris puellae deminutivum a Simo vel Simone. Et nota nomen in palliata fabula Latine deminutivum.» Is quidem a quocunque hoc profectum est quantae sit auctoritatis apparet, cum Simulum Latine deminutivum effutiverit. Non solum enim haec Graeca: *Θρασύλος Κρατύλος Μειδύχ ος Φειδύλος* eadem forma signata sunt, sed Simulus ipse nomen Graecorum fuit, quod etiam nunc in Menandri fragmento exstat apud Meinek. p. 112, et poetam mediae quae dicitur comoediae ita appellatum novimus. Conf. Meinek. Quaest. scen. spec. III, p. 58 sq. et Fragm. Com. Graec. Vol. I, p. 424.

Ad eiusdem Adelphorum fabulae I, 2, 1: *Ehem opportune, te ipsum quaerito* scholiasta ita iudicat: »Melius quam Menander, cum hic illum ad iurgium promtiorem quam ad resalutandum faciat.» Sunt verba illa Demeae qui dissoluta Aeschini filii vita exacerbatus prodit. Poeta Graecus igitur, si qua illi scholio fides habenda est, nihil tale Demeam fecerat loquentem, sed rem ita instituerat, ut pater illico, id quod ne fieret extrema priore scena frater Micio timebat, iurgare inciperet, aut Micio, cum sibi salutem impertienti (I, 1, 55) nihil reddi videret, quaereret (I, 2, 2): *Quid tristis es?*

Aliud leve quidem sed apte tamen a Terentio si quid video mutatum est Phorm. IV, 3, 42. Antipho duxerat patre Demiphone absente Phanium quandam a Phormione

ut dicebatur lege coactus. Pater cum rediret graviter hac re turbatus est, cum filius se cum indotata uxore coniunxisset, et quod ipse ei filiam Chremetis amici uxorem dare constituerat. Huic incommodo Geta servus se remedium invenisse dicit collocutumque cum Phormione, ut omnia cum bona componerentur gratia nuptiaeque dirimerentur. Phormionem narrat ad haec se paratum quidem ostendisse, grandem tamen summam, talentum magnum, postulasse. Quod ubi audit Demipho exclamat v. 39: *Immo malum hercle ut nihil pudet.* Statim subiicit Geta:

Quod dixi adeo ei: quaeso quid si filiam
Suam unicam locaret? — Parvi rettulit
Non suscepisse, inventa est quae dotem petat.

Ad haec igitur scholiasta adnotavit: »In Graeca fabula senex hoc dicit: *Quid interest me non suscepisse filiam si modo dos dabitur alienae?*» Videmus a patre filiam non susceptam esse, ne nubili dotem conficere cogeretur — et haec quidem causa filias exponendi non ita rara fuit — eoque modo res familiares nimium distraherentur. Menander igitur huius rei simulatque de pecunia a Phormione postulata sermo iniicitur recordantem fecerat ipsum Demiphonem, atque hoc ipsum tam magnam summam cur non daturus esset pro causa afferentem. Nobis melius eius rei a Geta mentio facta videtur quo simul fit, ut huius opera et prudentia, dum insanae illius postulationi gravissimam causam opposuisse videtur, magis hero probetur, neve is de fallaciis (nihil aliud enim haec omnia sunt) quae ei iam intenduntur quidquam sentiat.

Quod hoc loco videmus sententiam quae apud Menandrum erat Latinis quidem versibus expressam, sed non ab eadem atque in Graeca fabula pronuntiatam esse persona, idem factum est Eunuch. extrema quinta scena act. V. Memorat ibi schol. v. 31: »Manifestius hoc Menander explicat, iam pridem infestum meretrici senem post corruptum ab ea Phaedriam nunc demum se inventa occasione vindicaturum.» Ut planius perspiciatur quid Terentius mutaverit paucis possumus defungi. Phaedria Lachetis filius Parmenoni servo mandaverat, ut ad Thai-

dem meretricem amatam duceret eunuchum et Aethiopissam. Eidem Thaidi Thraso miles alter amator dono Pamphilam quandam misit. Hanc cum ad Thaidem deduceretur in via conspicatus Chaerea Phaedriae frater natu minor tam perdite amare coepit, ut ad eam potiundam semet ipsum pro Eunucho ad Thaidem curaret deducendum. Postea illum pro moecho intus comprehensum et constrictum esse magna meretricum audacia narrat Parmeno Lacheti. Qui hac re audita sine mora in aedes meretricum propere introrumpit. Quo facto in scena solus restans Parmeno dicit v. 27—31:

Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum:
Nisi quia necessus fuit hoc facere, id gaudeo
Propter me hisce aliquid esse eventurum mali.
Nam iam diu aliquam causam quaerebat senex
Quamobrem insigne aliquid faceret iis; nunc repperit [26]).

Menandreus igitur senex, si ad scholiastae neque obscura neque dubia attendimus verba, ipse antequam decederet animum suum meretrici corrupto Phaedria infestum seque tandem ab ea poenas sumpturum esse declaraverat. Paulo aliter cur visum sit Latino poetae causa in aperto est. Hic enim sine dubio existimavit naturae non consentaneum esse, patrem eundemque senem cuius animus tam turpi re percepta ad ulciscendum ardeat plura loqui, neque sine mora iram si qua fieri possit explere. Sed alterum est ad quod nemini licet animadversum attendere operae pretium sit. Continuo post illa Parmenonis verba quae supra posui Pythias Thaidis ancilla egreditur ita loquens V, 6, 1 et 2:

Nunquam edepol quidquam iam diu quod magis vellem evenire
Mi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.

Jam nemini non patere credo apud Menandrum, nisi forte ab arte sua hic destitutum esse statuere mavis, fieri non potuisse quin Parmeno qui solus in scena restat nonnulla dum Thais exit locutus sit. Itaque haec a Terentio omissa esse necesse est concedas, aut quod quidem magis probabile videtur contineri haec tribus illis versibus quos primos Parmeno profert: *Non dubium — mali.* Sententiarum igitur ordinem quoque immutatum videmus,

et sermone Parmenonis duobus saltem versibus aucto et producto satis iam spatii ut apud poetam relictum videtur ad res intus transigendas.

Adelph. II, 3, 10 sq. haec legimus: *Stultiast istaec non pudor tam ob parvolam Rem paene e patria.* Scholiasta hac adnotavit: »Menander [27]) mori illum voluisse fingit, Terentius fugere.» Ratio cur poetae Latino ita visum sit alio ad hunc versum scholio reddita est: »Deest fugere, quia amatores comici cito comminantur patriam se deserturos, ut amicas sequantur.» Id quidem observavit Terentius his quoque locis: Andr. II, 1, 29; Heaut. I, 1, 65; Adelph. III, 3, 30; Plautus Trin. II, 4, 196. In eandem sententiam dictum videtur quod Non. v. *protelare* servavit e Turpilii Lemniis:

Propter peccatum pauxillum indignissume
Patria protelatum esse saevitia patris;

et quod e Menandri Perinthia exstat apud Pollucem X, 12 (Meinek. p. 187. ed. min.):

Ὅσ᾽ ἐστὶ μαλακὰ συλλαβὼν
ἐκ τῆς πόλεως τὸ σύνολον ἐκπήδα, φίλος.

Sicubi igitur Terentius vestigia poetae Graeci reliquit, id non libidine quadam sed consilio factum esse vides. Quo etiam magis perspicias, quam prudenter in fabulis Graecis Latine convertendis versatus sit, neque splendorem Menandri ne minimis quidem maculis adspersum existimasse, operae pretium videtur cognoscere, quale iudicium censuramque fecerit in Luscii adversarii fabulis. In Thesauro hic scripsit:

causam dicere
Prius unde petitur aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit unde is sit thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

Conf. Terent. Eunuch. prol. v. 10—13 et quae scholiasta ibi adnotavit. Menandri fabulam quae *Θησαυρὸς* inscripta erat a Luscio Latine redditam esse qui statuerunt a vero non videntur aberrasse, neque esse puto cur Meinekii sententiam prolatam Menandr. et Phil. reliq. p. 80, et iterum Fragm. Com. Gr. vol. IV, p. 136 sqq., Luscium si summam rei spectes Menandreae fabulae

ordinem et oeconomiam retinuisse, recte improbaveris, ita ut Terentius Luscium accusans ipsum Menandrum reprehendat. Et Terentius si in eodem adversario Heaut. prol. v. 31 quod

fecit servo currenti in via
Decesse populum,

non iniuria vituperavit, id quod alio loco pluribus demonstrabo, non credo fore qui negent Terentium quidem Romanis spectatoribus non hos versus scripturum fuisse quos scholiasta e Luscii Thesauro commemorat:

Athenienses, bellum cum Rhodiensibus
Quod fuerit, quid ego hic praedicem?

Neque dubium est quin grave illud quod Terentius Phorm. prol. v. 6 sqq. recte tulit iudicium de eodem Luscio factum sit.

Sed oratio se iam referat a maledico illo obtrectatore ad Terentii rationem. Hunc in his omnibus, quibus cum Menandro non concinere vidimus, ut suo iudicio non ita pravo mea quidem sententia ductum esse patet, ita larga poetae Latino a Graeco recedendi copia exstitit, quod Romanos habebat spectatores. Quae ideo scholiasta teste mutationes factae sunt eas iam recensebimus.

Scripsit Terentius Andr. IV, 3, 11 sq.: *ex ara hinc sume verbenas tibi, atque eas substerne.* Adscripsit scholiasta: »Verbenae sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas, vel omnes herbae frondesque ex aliquo loco puro decerptae. Verbenae autem dictae quasi herbenae. Sic Menander: *KOΔEΞIAC CYMYPPYNAC XXCHΔIeTeINe.* Ita Graeca mirum in modum depravata leguntur apud Klotzium. Quid vero ab aliis aliter tentatum sit vide sis apud Meinekium Fragm. com. Gr. vol. IV, p. 82 sq. et Ritterum ad Terent. l. c. Ille quidem haec emendanda esse ita censet l. c. p. 710:

ἀπὸ Λοξίου σὺ μυῤῥίνας τασδί (λαβὼν)
ὑπότεινε.

Id quidem Meinekius sine dubio recte fecit ut hoc loco Apollinem Loxiam a Menandro commemoratum esse putaret. Scribit Helladius Photii Bibl. p. 535, 33 ed. Bekk. *τὸν Λοξίαν προσεκύνουν, ὃν πρὸ τῶν θυρῶν ἕκαστος ἱδρύοντο,*

καὶ πάλιν βωμὸν παρ' αὐτῷ στρογγύλον ποιοῦντες καὶ μυῤῥίναις στέφοντες ἵσταντο οἱ παριόντες, τὸν δὲ βωμὸν ἐκεῖνον Ἀγυιᾶ ἢ[27] b) *Λοξίαν ἐκάλουν.* In eandem sententiam scriptum est Photii Lex. p. 230, 11. Quod autem maximum est nititur illa emendatio satis certo scholiastae Terentiani testimonio quod ita nunc quidem legitur l. c. »Ex ara scilicet Apollinis quem *Δήλιον* Menander vocat.« In editione autem princ. et Venet. et duobus codicibus cum sit non *Δήλιον* sed *cassion,* quin *Λοξίαν* substituendum sit dubitari non potest. Sed aram ipsam cum constet ita nominatam fuisse, aliud videtur irrepsisse mendum quod ut facile iam removeri potest, ita causa aperta est unde venerit. Scholion igitur hunc in modum constituas: »Ex ara scilicet Apollinis, *quam Λοξίαν* Menander vocat.«

Terentius igitur cum Apollo apud Romanos *Loxiae* cognomine non appellaretur id prorsus omittendum duxit, neque Davus *myrti* frondes sumi iubet sed *verbenas.* In hac quoque re Romanorum usum observatum esse cum scholiastae verbis patet tum his Servii locis ad Virgil. Eclog. VIII, 65: »Verbenae dicuntur virgulta quae semper virent iucundi odoris: alii *verbenas* virgulta *religioni apta* alii proprie olivarum ramos — dicunt;« et Aen. XII, 120: »Abusive verbenas iam vocamus *herbas sacratas* ut est laurus oliva et myrtus. Terentius: *ex ara hinc sume verbenas tibi,* nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transvertit.« Usus igitur est poeta Latinus verbo in rebus ad religionem pertinentibus quam maxime solenni. Conf. Hor. Carm. I, 19, 13; IV, 11, 7; Liv. I, 24; XXX, 43; Plin. H. N. XXII, 12, 3; Ovid. Metam. VII, 242.

Parturiens quam Menander fecerat invocantem *Ἄρτεμιν* apud Terentium opem *Junonis Lucinae* implorat. Conf. Schol. Andr. III, 1, 15: »Obstetriciam[28]) potestatem Junoni attribuit quamquam Menander illam Dianam appellat.« Et Eugraphius: »Duas potestates habet Juno, eadem namque pronuba est, — eadem et Lucina, quod praeest parturientibus et lucem nascentibus dat. Hanc quidam tamen potius Dianam esse dixerunt; nam ita Menander ipsam vocat cum dicit *Ἄρτεμιν*; quanquam et

Virgilius (Eclog. IV, 10) eandem Lucinam Dianam voluit, unde est:

Casta fave Lucina, tuus iam regnat Apollo.»

Dianam quoque licet posteriore tempore parturientium deam fuisse illo Virgilii loco et Hor. C. S. v. 13 sqq. constet, antiquitus tamen apud Romanos a parturientibus ut sibi propitia esse velit Juno tantum invocata videtur. Hinc Cicero scribit N. D. II, 27: »Ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam, sic apud nos Junonem Lucinam in pariendo invocant.» Quod praeterea scholiasta dicit: »Nota hoc etiam versu totidem verbis uti omnes puerperas in comoediis,» id quidem confirmatur Adelph. III, 4, 41 ubi eadem prorsus ratione qua Andriae loco scriptum est:

Juno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.

Parturiens tamen Plaut. Aulul. IV, 7, 11 clamat:

Juno Lucina tuam fidem.

Mysidis verbis Andr. IV, 4, 32: *Dis pol habeo gratias, cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae*, hoc scholion adscriptum est: »Testimonia libera contra servum et hoc proprium Terentii est, nam de Romano more hoc dicit.» Conf. Lindenb. ad h. l. et quo iam delegavit Ruhnk. dictat. Dig. de ventr. inspic. leg. 2, § 10.

Phorm. I, 1, 15: *Porro autem alio* (Geta ferietur munere) *ubi erit puero natalis dies Ubi initiabunt*, hoc in illa scholiorum farragine commemoratur: »Legitur apud Varronem initiari pueros Eduliae et Potivae et Cubae divis edendi et potandi et cubandi [29]) ubi primum a lacte et a cunis transierunt quod Virgilius (Eclog. IV, 63):

Nec deus hunc mensa dea nec dignata cubili est.

Hoc adnotavit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari more Atheniensium, quod ut in palliata probandum est magis.» Ex his verbis satis apparet Apollodorum hic locutum esse de initiando Atheniensium more. Poeta Latinus quem supra vidimus nomine Loxiae spectatoribus Romanis inaudito abstinuisse hic universe dicere maluit, eisque qui fabulam spectatum venerant permittere, ut de suis quoque cogitare possent

ritibus. Erravit igitur scholiasta si Terentium existimat secutum esse Apollodorum; neque illum hoc fecisse neque ab hoc recessisse affirmare potes.

Non simplici usum esse Terentium mutatione Phorm. I, 2, 42 sqq. ex eo cognoscimus quod ibi scholiasta adnotatum reliquit. »Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit qui dicat se nuper puellae comam ob luctum abstulisse quod scio mutasse Terentium *ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet* [30].» Res autem ita se habet. Phaedria Demiphonis in Ciliciam profecti filius puellam quandam lenoni servientem amare coepit perdite. Cum autem non haberet quo dato in suum amorem illam pellicere posset, restabat aliud nihil nisi ut oculos pasceret. Quare solebat una cum Geta servo plerumque in tonstrina [31]) quae ex adverso sita erat ludo cuidam in quo illa discebat [32]) opperiri, dum inde domum iret. Ubi dum aliquando sedent, intervenit adolescens quidam et a se modo visam esse narrat in vicinia virginem miseram matrem lamentari mortuam. Commovet omnes cum virginem esse facie egregia dicat, ut visum eant eamque inveniunt *capillo passo* nudo pede horridam. Menander igitur tonsorem fecerat narrantem se puellae capillos reccidisse idque de Graecorum more factum erat. Conf. Athen. XV, p. 675; Senec. de Benef. V, 16; Plat. Phaed. 89 B et quae ad h. l. Wyttenb. pluribus exposuit. Contra Romani lugentes barbam ac capillum promittebant (Liv. VI, 16; Suet. Caes. 67) aut solvebant crines (Liv. I, 26) ut fierent passi vel sparsi. Hinc Terentius sibi constans scribit Heaut. II, 3, 49: *Capillus passus prolixus circum caput Reiectus neclegenter* [33]). Ex hac autem mutatione alia necessario consequebatur. Nullae enim iam apte apud poetam Latinum esse poterant tonsori partes narrandi de sorte et forma miserae puellae quas intervenienti adolescenti cuidam datas esse videmus.

Cum omnium novae quae dicitur comoediae poetarum tum Menandri, quem acerrimum Euripidis imitatorem [34]) fuisse scimus, proprium fuit sententias communes vel e philosophia petitas passim promere. Ingenium autem Romanorum ad usum vitamque omnia referentium qui

probe cognovit, facile concedat his eiusmodi dicta, inprimis si nimium cumulata essent, potius molestiam et taedium quam animi oblectationem attulisse. Itaque factum est, ut Terentius non raro talia in exemplis quae sequebatur ubi invenit aut aliquo modo mitigaret aut omnino omitteret. Illud factum est Andr. IV, 4, 55:

Paullum interesse censes ex animo omnia
Ut fert natura facias, an de industria?

Scholiasta: »Et haec sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est quam Menander ἐπιδεικτικῶς posuit.« Atque hoc a Terentio et hic et alibi acri iudicio factum esse, ut quaesita illa sapientia paululum obscuraretur recte et scienter monuit Ritterus ad. h. l.

Terentius si Andr. II, 4, 3 scripsit: *Venit meditatus alicunde ex loco solo*, Menander, id quod e Scholiasta ad h. l. cognoscimus, idoneam scilicet occasionem amplexus hanc de solitudine meditationibus opportuna sententiam posuit:

Εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
Οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες,

quam poeta Latinus quod detrectandam esse existimavit non sane est quod eum iudicio lapsum esse dicas.

Neque igitur mirum videbitur quod multis Menandri fabularum reliquiis quae eiusmodi sententiolas et philosophiae decreta sapiunt in Terentii fabulis, quanquam ex illis conversas esse constat, nihil prorsus inveniri simile quod respondere dicas. Meinekius autem si Men. et Philem. reliq. p. 69 quod in Terentii Eunucho nihil reperiretur eandem sententiam continens quae inest in verbis e Menandrea eiusdem nominis fabula a Stobaeo Flor. XXIX, 47 servatis: *Πάντα τὰ ζητούμενα*
δεῖσθαι μερίμνης φασὶν οἱ σοφώτατοι,

huius rei causam e mutata Terentianae oeconomia repetendam esse opinatur, hoc non satis circumspecte dictum esse arbitror. Neque magis eiusdem viri ratio probabilis est qua cum pluribus Menandri ex Adelphis reliquiis nihil simile in Terentii eiusdem nominis fabula exstet hoc ita expediri putat l. c. p. 3 et 4, ut cum duae exstiterint Menandreae fabula recensiones, haec quae Terentius non

interpretatus sit ex ea editione arbitretur petita esse qua poeta Latinus non usus sit. Sed illam de duplici Adelphorum recensione, quae unius scholiastae Platon. (apud Bekk. p. 319, apud editores Turicenses p. 965) neque certa fide nititur [35]), opinionem non omni dubitatione carere Grauertus l. c. p. 136 sqq. recte mihi videtur existimasse. Illa certe Menandrea quibus in Latina fabula locus non concessus est si quis accuratius inspexerit, non dubito quin mecum statuat consulto et cogitate a Terentio omissa esse, cum ni fallor recte sentiret Latinis auribus non aeque placitura esse quam Graecis. Eiusmodi est quod Justinus Mart. de Monarch. p. 41 e servavit:

Θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεί
ὁ νοῦς γάρ, ὡς ἔοικεν, ὦ σοφώτατοι.

Neque iam est pluribus demonstrandum, cur idem Meinekius me consentientem non habeat, si Menand. et Phil. reliq. p. 55 inde quod in Terentii Heautontimorumeno nihil his ex Menandrea eiusdem nominis fabula ab Stobaeo XXXIX, 11 servatis:

Οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα,

simile respondeat probatum ivit, actionem fabulae vel certe partem actionis in angustiorem quasi gyrum a poeta Latino esse contractam.

Unus quisque poeta scenicus qui artem suam recte exercet id quidem sibi propositum habeat necesse est, ut eorum qui spectant animos permoveat, quantum fieri potest moribus conferat, ingenium emendet, omnemque cogitandi sentiendique rationem ad sublimius quoddam perducat. Ut divino igitur illo quod natura dedit munere is prorsus indigne atque perverse utitur qui non nisi humilibus abiectisque voluptatibus serviendum et sensibus quasi titillationem adhibendam esse ducit, ita illum quoque propositum suum assequi non facile concesseris qui spectatorum studia nihil plane curat [36]). Haec autem res quantam vim atque momentum habuerit in Terentii fabulis dici vix potest. Videbat cotidie atque adeo expertus sciebat quibus nam rebus plebecula gauderet. Nemini autem mirum esse poterit populum, cuius

numero multo plures studio stupidi in pugile aut funambulo animos occuparunt [37]) mediamque inter fabulam ursum poscunt, atque earum rerum exspectatione foras exeunt, in scena quoque si tumultus quidam et strepitus excitatur maiorem in modum delectari, sedatam rerum expositionem et narrationem aspernari ac respuere. Quae si tenueris facile erit ad intelligendum unde factum sit, ut Terentius multis in rebus ab exemplari quod sequebatur sibi duxerit recedendum esse, etiamsi a poeta Graeco eas male institutas a se melius institutum iri non semper sibi rem per se si spectas persuaserit. Iudiciis studiisque multitudinis id condonandum erat. Neque hoc esse quod ei exprobrari vitioque verti possit arbitror, modo ne laudis hinc captandae ita avarum fuisse appareat, ut ipsius artis musicae proditor desertorque ut ita dicam exstiterit.

Quae in hunc numerum referenda esse censeo iam scholiastae [38]) indicia secutus in medium proferam. Et hic quidem aliquot locis memoriae prodidit a poeta Latino ubi Graecus unam personam rem factam sine ulla intermissione narrantem induxerat diverbium esse institutum. Neque id si quid video consulto non factum est in gratiam spectatorum, ut hoc modo species quaedam actionis afferretur, id quod Romanos quae eorum erat indoles sine dubio magis affecit quam contrarium. Rettulit igitur scholiasta ad Eunuch. III, 4, 1: »Bene inventa persona (Antiphonis) est cui narret Chaerea ne unus diu loquatur ut apud Menandrum»; et ad ejusdem fabulae V, 8, 4: »Inventa persona (Parmenonis) est ad quam gesta haec narret Chaerea ut populus et miles instruatur quid intus gestum sit.» Quamquam huius testimonii fides, cum nulla inter poetam Latinum et Graecum comparatio instituta sit, eis quae infra adn. 38 disserui infringi potest. Neque alia est ratio scholiorum quae leguntur Eunuch. II, 2, 23: »Mire Terentius longae orationi interloquia quaedam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet, velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem haec loquitur;» et ibid. v. 34: »Rursus Parmeno et facetias dicit et distinguit longiloquium parasiti.»

Contrarium Terentius sine dubio secutus est Hec. act. V, sc. 3. Ibi enim v. 18 scholiasta adnotavit: »Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur»; et v. 27: »Brevitati consuluit Terentius, nam in Graeca haec aguntur non narrantur.» Facile tamen possunt haec perperam intelligi, in eamque accipi sententiam quasi Apollodorus produxisset Pamphilum adolescentem in scenam vini plenum, annulum in digito habentem, quem Philumenae dum vi comprimit detraxerat, et convenientem meretricem Bacchidem. Sed rem ita a poeta Graeco institutam esse quo minus nimis facile ac temere credamus non solum obstat illud Horatianum Epist. ad Pis. 182 sqq.:

Non tamen intus
Digna geri promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis quae mox narret facundia praesens,

sed multo magis quod omnia ante decem fere menses facta esse dicit Bacchis ipsa v. 24. Sed ne longus sim, quae sit verborum scholiastae sententia patet e Cic. Tusc. Disp. I, 4, 8: »Sed quo commodius disputationes nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res non quasi narretur»; et de amic. I, 3: »Eius disputationis sententias memoriae mandavi quas in hoc libro exposui meo arbitratu; quasi enim ipsos induxi loquentes ne inquam et inquit saepius interponeretur, atque ut tanquam a praesentibus coram haberi sermo videretur.» Et scholiasta Terentianus eodem modo scripsit ad Terent. Andr. I, 1, 1: »Haec scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur, ut virtute poetae — et periocham comoediae populus teneat, et res agi magis quam narrari videatur». Apollodorus igitur fecerat sermonem inter Pamphilum et Bacchidem de iis rebus habitum, quae ante decem fere menses evenerant [39]).

Quoniam ad hunc locum perventum est, non modo non alienum sed necessarium videtur de ea re aliquando exponere in qua maximum et gravissimum eorum in quibus poetae Latino placuit ἀρχέτυπα immutare et refingere genus positum est. Luscium igitur Lanuvinum veterem illum poetam in Terentii fabulis cum alia tum illud vitu-

perasse quod *contaminatae* essent satis notum est. Conf. Terent. Andr. prol. v. 15 seq., Heaut. prol. v. 17. Hoc autem ipsum quid sit et quamobrem Terentio a malevolis vitio datum tantum abest, ut iam satis exploratum dici possit ut nostra aetate rem etiam impeditiorem esse factam haud arroganter mihi videar pronuntiare posse.

Huius rei quaestionem habituris si ratione et via agere volunt non dubitari potest, quin ordiendum sit ab investiganda quae verbo *contaminandi* subiecta est vi, et cum sit derivatum ad etymum usque descendendum. Et hanc quidem rem post aliorum nugas et errores feliciter et copiose profligasse et confecisse Ruhnkenius dictat. in Andr. prol. v. 16 et Grauertus Analect. hist. et philol. p. 118 sqq. putandi sunt, quorum opera iam constat vocabulum illud ex stirpe *TAG* esse prognatum quae eadem conspicitur in his: *tango contages contagio integer* aliis. Itaque naturalis eius principalisque significatio nulla alia esse potest quam quod nos ratione simul additae praepositionis habita dicimus: *Eine Berührung unter mehren Gegenständen bewerkstelligen*, vel, *mehre Gegenstände mit einander in Berührung bringen.* »Sed quia miscendo saepe aliquid corrumpitur et polluitur etiam corrumpendi et foedandi potestatem accepit» dictavit Ruhnk. l. c. In eandem fere sententiam scholiasta iam scripsit Andr. prol. v. 16: »Contaminare et adtingere est et polluere»; et paulo post: »contaminari: tangi et relinqui polluta manu ac per hoc (Klotz. *per hanc*) volvi et foedari aut maculari.» Et huic quidem verbo domicilium fere esse in secundaria potestate inter omnes constat. Conf. Cic. in Cat. I. 12: »Etenim si summi viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt sed etiam honestarunt;» pro Rosc. Amer. c. 40: »Videte iam porro cetera iudices, ut intelligatis fingi maleficium nullum posse quo iste sese non contaminaverit.» Tusc. Disp. I, 30, 72: »Nam qui se humanis vitiis contaminassent.» Caes. B. G. VII, 43: »Contaminati facinore.» Liv. XI, 13: »Contaminatam omni scelere mentem.» Num vero in iis Latinarum litterarum monumentis quae no-

stram tulerunt aetatem alicubi prima significatione praeditum hoc verbum legatur, et si forte illius potestatis unum alterumve exstaret exemplum non dubiae fidei, utram Terentius subiecerit vim, de hac re nondum inter omnes constat. Ad rationem tamen quam Terentius in fabulis Graecis Latine convertendis secutus est penitus cognoscendam et iuste recteque aestimandam quam maxime interesse, hoc manifestum et apertum esse neminem fugere potest. Levi brachio quod dicunt cum hac in re antiquiores egissent, contaminare fubulas breviter strictimque idem esse dicentes atque ex multis fabulis facere unam, quae interpretatio exstat in farragine illa quam immerito antea ad unum relatam esse Donatum auctorem certo scimus, et in Ruhnkenii dictatis, aut mutilare quod visum est Drakenborgio Westerhovio: Grauertus de integro illam quaestionem et fusius excutiendam esse duxit, suaque disputatione iam effectum esse putat apud Terentium a verbo contaminandi omnem corrumpendi et depravandi et deterius faciendi notionem prorsus abesse, et contaminare fabulas esse nihil aliud nisi plures fabulas aut earum partes coniungere. Haud alienum erit singula quae vir doctus protulit argumenta persequi et accuratius examinare. Et primum quidem Terentianae rei ab ipso Terentio praesidium petere conatur. Praeter Andr. prol. v. 16 et Heaut. prol. v. 17 apud hunc poetam nisi uno loco verbum contaminandi non reperitur Eunuch. III, 5, 4:

Nunc est profecto interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.

Quod cum idem significare ac valere opinatus sit Grauertus ac quod scriptum est Andr. V, 5, 5:

Mi immortalitas
Parta est si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit,

satis apertum et grave exemplum sibi reperisse visus est unde pateret apud Terentium illi verbo vim coniungendi vel miscendi esse subiiciendam. Sed hoc praepropere atque inconsulte vir egregius mihi quidem videtur pronuntiasse neque ut par est interpretis officio functus.

Sufficit enim, ut id quod volumus et cogitamus ab aliis recte perspiciatur et intelligatur, eas tantum notiones significare et declarare, quae potissimae et gravissimae et quasi caput sunt, alias quae rem secundaria quadam nota insigniunt et distinguunt cum fere sponte sequantur cuique cogitando addendas relinquere. Et ut optimi cuiusque scriptoris virtus et praestantia in eo non parum cernitur et elucet, ut talia eligat verba quibus utrumque efficitur, ita hoc ipsum studium praeceps esse ad luxuriam quandam et tumorem satis multi labentis latinitatis scriptores exemplo suo ostenderunt. Grauertum igitur illa ratione parum recte id quod voluit probasse uno alterove insigni exemplo cum sexcentis fieri possit confirmasse sufficiet. Hor. Carm. II, 13, 3 si scribit: *Siculum mare Poeno purpureum sanguine;* idemque II, 1, 31: *quod mare Dauniae non decoloravere caedes;* et Sidonius l. I, ep. 5: *Metauri gurgites Hasdrubalis caede decoloratos;* et Stat. Theb. XII, 410: *turbatus* (Ismenus) *adhuc et sanguine decolor ibat;* et Virg. Aen. v. 413: *sanguine cernis* (arma) *infecta:* nemo tamen dixerit verba illa: *purpureum* et *decolorem* et *decoloratum* et *infectum esse,* licet his locis *sanguine* scilicet vel *caede* addita omnium universa significatio eadem paene sit, per se spectata idem omnia significare. Neque inde quod sermone patrio dicimus tum illud: *Kummer hat die Freude gestört,* tum hoc: *Kummer hat die Freude verbittert,* utrumque verbum idem valere cuiquam in opinionem veniet statuere. Grauertus autem ab hoc satis infirmo argumento progressus est ad alios aliorum scriptorum locos quibus eam quam Terentio vindicaturus est verbi significationem non obscuram esse putat. Et primum quidem affert Cic. p. dom. c. 13 quem locum totum transscribere iuvat: »Ita perturbatis sacris contaminatis gentibus et quam deseruisti et quam polluisti iure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto factus es eius filius contra fas cuius per aetatem pater esse potuisti.« In his cum Marklando viro sagaci absurda quaedam ταυτολογία inesse visa esset quod idem sit *polluere* et *contaminare,* Gesnerus Comment. societ. Götting. T. III, p. 252 sq. virum illum opinatur oblitum

fuisse *contaminandi* verbum latius interdum patere, et *contaminari fabulas* dici in Terentianis prologis cum ex pluribus Graecis una fiat Latina. Itaque ista Clodii per Fonteium adoptione auctorem huius orationis dicere voluisse gentes esse mixtas et coniunctas. At hanc rei impugnatae defensionem Marklandi acumini credo non minori fuisse offensioni, cum rem quae deseratur ne misceri quidem et coniungi cum altera recte dici possit. Et hunc locum continentem qui animo integro et libero legit meminitque verbum contaminandi ab ipso Cicerone non paucis locis, quorum nonnullos supra adscripsimus, in malam dici partem, is arbitror fieri non posse quin, praesertim cum paulo ante legatur: *perturbatis sacris*, in eam statim perducatur sententiam, ut existimet illud *contaminatis* idem fere esse quod *inquinatis*. Atque ipse adeo huius orationis auctor quisquis fuit hanc potestatem plus semel eidem verbo subiecit. Conf. c. 41 §. 108: »Civis est nemo in tanto populo extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit: at qui aliqua se contagione praedae societatis emptionis contaminaverunt, nullius neque privati neque publici iudicii poenam effugere potuerunt.« In illa autem idem fere declarantium coniunctione verborum *contaminatis* et *polluisti* si quid insit quod offensione non vacet hoc potius mea quidem sententia cadit in posterius. Exspectabas enim ni fallor dici: *contaminatis gentibus et quam deseruisti et in quam irruisti* vel *irrupisti* vel simile quid. Sed ne hoc quidem urgendum atque ad vivum resecandum esse existimo.

Alterum illius quam ponunt significationis exemplum Gesnerus et Grauertus sibi deprehendisse visi sunt apud Livium V, 2: »Quas quantasque res C. Canuleium aggressum? Colluvionem gentium perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque afferre, ne quid sinceri ne quid *incontaminati* sit.« Est sane quod mireris illos viros opinione duci hunc Livianum locum vel levissimum ipsorum rei argumentum afferre, cum illa: *colluvionem* et *perturbationem* et *ne quid sinceri sit*, et quod maius est patri-

ciorum sententia de patrum et plebis connubio contrarium potius clament. An idem Livius si dicit IV, 1: »C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgavit qua *contaminari* sanguinem suum patres confundique iura gentium rebantur,» hoc quisquam in animum inducet ita interpretari: *patres rebantur sanguinem suum cum plebe coniungi?* In his sane alterum alterius auxilio si per se indigens esset sublevaretur. Hac igitur via non potest res Grauerto ex sententia procedere. Sed ecce aliud argumentum: Fabulae Graecae dum ex multis Terentius facit paucas Latinas non corrumpebantur sed semper integrae manebant. Hoc autem optimum videtur silentio praetermittere, cum eadem ratione usus efficere quoque possis fabulas Graecas non *coniunctas* esse. Grauertus [40]) vero vel eo usque progressus ut in illa contaminatione nihil vitiosi inesse ne ex adversariorum quidem sententia dixerit velem nos edocuisset cur plus semel ab hominibus malevolis Terentio ea vitio daretur.

Sed iam satis mihi videor partes contra disputantis tutatus esse. Aliquid tamen hoc modo certum neque prorsus leve effectum est. Sicut mihi ipsi nullum exemplum innotuit (neque enim rei Terentianae timens callide celarem), sic ab Gesnero et Grauerto ullum esse prolatum nego quo comprobetur verbum contaminandi idem significare quod coniungere vel miscere, ita ut res coniunctae maneant integrae incolumes neque quidquam corrumpantur mutilentur inquinentur. Adversari solum videtur illud ad Andr. prol. v. 16 scholion: »Proprie contaminare est manibus luto plenis aliquid attingere. Et contaminare et adtingere est et polluere.» Hinc autem si illud ex originatione non profectum est et prava quadam Terentii loci explicatione, quod mihi verisimile est, summum consequi videtur posteriore et scholiastae illius quisquis fuit tempore, ubi multa eiusmodi novata esse scimus, illam vim huic verbo subiectam esse. Est igitur *contaminari non decere fabulas* quod nostrates dicunt: *Theaterstücke zu versudeln sei nicht recht.* Ita autem a malevolis Terentii adversariis cur disputatum sit ut plane perspiciatur res paulo longius repetenda videtur.

Romanis postquam egregia ingenii monumenta Graecorum innotuerunt fieri non potuit, quin magna horum praestantiae iniiceretur admiratio:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio,

verba sunt Horatii Epist. II, 1, 156 sq; eodemque modo cecinit Ovid. Fast. III, 101 et 102:

Nondum tradiderat victas victoribus artes
Graecia, facundum, sed male forte genus.

Illud autem factum est ab eo inde tempore quo populus bellicosus Italiam inferiorem bellis feliciter gestis suo imperio subiungebat [41]). E Graeciae enim magnae urbibus oriundi fuerunt omnes fere qui primi Latinas litteras illustrarunt: Livius Andronicus Tarenti captus (conf. Cic. Brut. c. 18 §. 72 et 73) et a Livio Salinatore cuius liberos erudiebat libertate donatus (conf. Euseb. n. MDCCCXXX); Cn. Naevius Campanus (conf. Gell. N. A. I, 24) qui Varrone teste primo bello Punico stipendia fecerat (conf. Gell. XVII, 21); Ennius Rudiis Calabriae natus [42]), civitate Romana donatus; Pacuvius Brundusinus (conf. Euseb. n. MDCCCLXIII) Potuerunt autem illo tempore Romae qui poetica instructi erant virtute ac facultate aliquid honoris et rem quoque sibi comparare, si rerum a Romanis fortiter strenueque gestarum carmina condebant, aut cupiditatem ludos spectandi, quae 391 a. u. ludionibus ex Etruria ad vim morbi levandam accitis excitata (conf. Liv. VII, 2; Val. Max. II. 4), expugnatis autem Graeciae magnae urbibus, ubi tum ars ludique scenici quam maxime florebant [43]), magnum in modum aucta erat, fabulis scribendis explebant. Et in hoc quidem genere Semigraecos illos, quo nomine Suet. de illustr. Gramm. c. 1 Livium et Ennium [44]) appellat, cum per se satis iam veri simile sit tum nominibus et reliquiis fabularum comprobatur Graecorum vestigiis insistentes et argumenta ab his desumpsisse neque ab eorum oeconomia fabularum multum recessisse. Quod si hoc nomine ne tragoediarum quidem scriptores ea dignos esse vituperatione, qua per longum temporis spatium a multis vexabantur, tandem aliquando omnibus fore ut persuasum sit sperare licet,

multo facilius etiam illa ratio excusari aut defendi potest in poetis comoedias scribentibus. Fuit enim ea omnium rerum Romae condicio, ut Graecorum veteris comoediae auctoribus in exemplum assumptis et ad imitandum propositis Romanos homines Romanorumque vitam in scenam producere non possent. Eam igitur viam secuti sunt quam Menander Philemon Apollodorus egregie praeiverant, atque interpretati sunt novae comoediae fabulas »quae«, ut scribit Euanthius de tragoedia et comoedia p. XIII, ed. Klotz., »argumento communi magis et generaliter ad omnes homines qui mediocribus fortunis agunt pertinebat,« cuius vero praecipuus unde hauriebatur fons res amatoriae erant [45]). Romanis captis Graecarum musarum deliciis tantum abfuit ut eiusmodi argumenta displicere atque offensioni esse coepissent, ut ea ipsa non parva fabulae laus et commendatio esset, si ea Athenis agi dicebatur. Conf. Plaut. Menaech. prol. 7—12:

Atque hoc poetae faciunt in comoediis,
Omnes res gestas esse Athenis autumant,
Quo Graecum vobis illud videatur magis.
Ego nusquam dicam nisi ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
Non atticissat, verum sicilissitat.

Tam delicati igitur fastidii Romanos spectatores fuisse et tantopere iudicium de pretio quod fabulae statui par esset e rebus si non plane alienis non ita tamen magni momenti pependisse si meminerimus, non mirum erit moris fuisse, ut poetae ipsi in prologis fere fabulam Graecam quam barbare ut ipsi dicebant [46]) vertissent nominatim afferrent, cum hanc ipsam rationem Latinae aliquid commendationis allaturam esse scirent. Neque silentio praetereundum est videri more receptum fuisse, ut nomen fabulae prius pronuntiaretur quam poetae cuius fama et laus etiam obscura vel dubia erat. Huius rei saepe mentionem fecit Donatus. Conf. de Tragoed. et Comoed. Fragm. p. XVIII ed. Klotz. »In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur quam poetarum;« praefat. in Terent. Andr. »Pronuntiata est Andria Terenti ob incognitum adhuc nomen poetae et minoris

apud populum auctoritatis et meriti," praefat. in Adelph. "Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam etiam tum rudi nomine poetae; itaque sic pronuntiatam: Adelphoe Terenti non Terenti Adelphoe, quod adhuc magis de fabulae nomine poeta, quam de poetae nomine fabula commendabatur;" et praefat. in Eunuch. "Haec edita tertium est et pronuntiata Terenti Eunuchus quippe iam adulta commendatione poetae ac meritis ingenii notioribus populo." Vides quantopere hac in re studio Graecarum litterarum et opinioni, fabulam novi etiam poetae ideo iam aliquo modo commendatum iri, si e Graeca nobilis cuiusdam poetae facta esset Latina, tributum fuerit. Quod nisi ita se re vera habuisset, potius exspectari potuit poetae nomen priore semper loco positum fuisse, ut cum non raro a pluribus poetis fabulas eodem nomine scriptas esse constet[47]) spectatores illico certiores fierent Terentii ut hoc utar exemplo non Caecilii Andriam actum iri. Quae cum ita sint, non sane est quod mireris inter Romanos fuisse qui quidquid in divinis illis Graecorum monumentis quae omnibus numeris absoluta et perfecta essent immutaretur tanquam facinus quoddam in arte commissum exagitarent. Sed haud scio an ii qui in eo disputabant contaminari non decere fabulas doctius vel ut verius dicam satis angusto animo egerint. Hoc autem quale fuerit optime mihi videtur perspici posse e loco quodam Petri Victorii qui in litteris ad Car. Borromeum datis ita scribit (apud Westerhov. ed. Terent. p. XXII): "Nec tamen me fallit nonnulla in vertendo mutasse Terentium, quibusdamque in rebus iudicium quoddam suum adhibuisse, ut illud quod e simplicibus duplices fere cunctas fabulas fecit. Qua in re cum placere voluerit spectatoribus qui plerumque gemina compositione rerum duobusque simul ad exitum perductis argumentis capiuntur, discessit non tantum a mente et quasi praescripto Menandri verum etiam a sententia Aristotelis arbitrantis alterum illud melius esse, iudicantisque uno in argumento unaque in persona manere poetas oportere sive tragoediam sive comoediam scribant[48]). Scilicet

quod a Graecis poetis religiose observabatur in fabulis componendis atque ab Aristotele gravissimo harum rerum aestimatore et iudice vere et ad persuadendum accommodate expositum est Poet. c. 7 et 8, illud dico praeceptum ex quo fabularum actionem unam esse oportet, facile qui plurium fabularum partes in unam coniungebat migrare potuit aut migrasse videri. Luscius igitur Lanuvinus si Terentio contaminatas fabulas vitio vertit, in primam adeo et summam legem artis scenicae unicuique qui hanc recte neque frustra tractare vellet necessario servandam peccatum esse pronuntiavit. Quod si re vera ita se rem habere iusti atque idonei harum rerum existimatores intellexissent, dubitari posset num frustra conatus esset poeta vetus novum *retrahere a studio et transdere in otium.* Illam autem fuisse obtrectatoris sententiam, nervumque vituperationis hac ipsa re contineri ex iis quae Terentius profert quibus ista maledicta repellat et diluat efficitur. Conf. Andr. prol. v. 8—21:

Nunc quam rem vitio dent quaeso animum advortite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam;
Qui utramvis recte norit ambas noverit.
Non ita sunt dissimili argumento, set tamen [49])
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
Quae convenere in Andriam ex Perinthia [50])
Fatetur transtulisse atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum, atque in eo disputant
Contaminari non decere fabulas.
Faciuntne intellegendo ut nihil intellegant?
Qui cum hunc accusant, Naevium Plautum Ennium
Accusant quos hic noster auctores habet;
Quorum aemulari exoptat neclegentiam
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.

Vides igitur ab ipso Terentio rationem quam secutus sit spectatoribus expositam. Non duas Graecas fabulas in unam qualicunque modo conflavit et egregia descriptione et oeconomia earum sublata ac disturbata quasi lacerati corporis mutilatas partes in unum coniunxit, id quod malevoli isti differebant, sed suae fabulae fundamentum in Andria Menandrea posuit. Nonnullis autem quae in

hac legebantur omissis alia desumpsit et transtulit ex Perinthia. Idem Terentius in ceteris quoque fabulis quibus plurium Graecarum fabularum partes contineri scimus fecit, ut unam pro praecipuo argumento sumeret eiusque oeconomiam et tenorem actionis universum servaret secundaria quadam re inserta. Conf. Eunuch. prol. v. 30—33:

Colax Menandri est, in ea est parasitus Colax
Et miles gloriosus. Eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca;

et Adelph. prol. v. 6—11:

Synapothnescontes Diphili comoedia est;
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam,
In Graeca adulescens est qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum. Eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.

Ne autem tali modo illa lex quae ut actio una sit neve diversis constet momentis postulat neglecta esse videretur, se ex Perinthia non qualiacunque transtulisse fatetur, sed *quae convenere in Andriam,* quod recte scholiasta exponit: »quae apta et commoda fuerunt in Andriam Latinam.« Conf. quae in eandem sententiam scripsit Eugraphius ad Andr. prol. v. 9. — Ut cuivis autem persuaderetur facillime hoc fieri potuisse, earum argumentum simillimum esse dicit, ita ut qui alterutram recte norit utramque norit. Memoriae autem prodidit scholiasta ad Andr. prol. v. 10 haece: »Prima scena Perinthiae paene isdem verbis quibus Andria scripta est; cetera dissimilia sunt, exceptis duobus locis altero ad versus XI, altero ad versus XX, qui in utraque fabula positi sunt.« Summo igitur iure Euanthius illam ab adversariis totiens exagitatam contaminationem sine dubio respiciens in numero Terentii virtutum hanc referre potuit (pag. XV, edit. Klotz.): »Adde quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam non aut caverit aut curaverit ea quae obesse potuerunt, tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri sed aptum ex

se totum et uno corpore videatur esse compositum.

Terentius autem quamquam in artis praecepta ne minimum quidem demonstravit a se peccatum esse, Romanis tamen, quos eorum quae usu et consuetudine recepta essent satis esse tenaces sciebat, si quid ab se ut poeta novo immutatum audirent, ut approbaretur fuit sane quod timere posset. Itaque se suamque rationem priorum et probatorum exemplo et auctoritate poetarum tuetur quos idem fecisse quorumque neclegentiam lubenter se imitaturum esse profitetur. Ad hoc bonorum exemplum iterum provocat Heaut. prol. 20 et 21. A Naevio autem Ennio Plauto cave putes Terentium negligenter parumque diligenter fabulas scriptas esse ex animo statuisse serioque iudicasse, sed hoc ex adversariorum sententia dictum esse existimes. Eodem modo intelligendum est quod scripsit Heaut. prol. 16—21:

Nam quod rumores distulerunt malevoli
Multas contaminasse dum facit
Paucas Latinas, id esse factum hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere quod illi fecerunt putat.

Illud quod malevoli quidem falso utentes nomine appellarunt contaminare non negat se fecisse et exemplum poetarum qui boni haberentur sequentem deinde quoque se facturum esse dicit. Ostendit autem Terentius hac in re quem ad modum toto hoc prologo fiduciam quandam sui et contemptionem et despicientiam obtrectatorum, cum ne operae quidem pretium ipsi visum sit verum rei nomen afferre. Grauertus igitur l. c. p. 121 hoc loco non recte usus est ut ex quo satis pateret ne ipsum quidem Terentium hoc verbum in malam accepisse partem et de corruptis fabulis cogitasse. Sed hic vir opinione temere concepta ita se in errorem induci passus est, ut tandem ipsi ne illud quidem constet quo modo illud *contaminare* intelligendum sit. Ita enim scribit p 205: »*Ob aber das contaminare fabulas nur heifst,* ex compluribus Menandri aut aliorum fabulis conflare unam (quae sunt verba

Meinekii Proleg. ad Menandr. p. XXXVI), *oder überhaupt von dem Zusammensetzen einer Comödie aus verschiedenen Stücken fremden und eigenen und von der freien Bearbeitung im Allgemeinen zu verstehen ist, darüber kann man zweifelhaft sein; daſs nicht bloſs ganze Comödien damit gemeint sind, sondern auch einzelne Gedanken, beweist klar Donat zu Andr.* V, 5, 3 ff. hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. Et hoc est quod dicitur: contaminari non decere fabulas.» Scholiasta quidem omnino recte quod ex Eunucho in Andriam quaedam translata sint hoc *contaminare* esse dicit.

Grauertum autem iam mirum esse non potest omnia in quibus Terentius ab Graeco exemplari quocunque modo recessit ad illud *contaminandi* genus per errorem rettulisse. Verbum contaminandi autem si tam ambigua esset potestate aut tam late eius significatio pateret, vereor ne ipse ille Luscius in eorum qui contaminassent numero habendus sit, atque in eum invidia ista quam Terentio ut conflaret omni opera nitebatur regeri potuerit. Nam ut in illo quod in *Thesauro* fabula scripserat, causam dicere eum prius a quo petebatur quam illum qui petebat, Menandri oeconomiam secutus sit, et illud etiam quod servo currenti in via decedentem fecerat populum poetae Graeco potius vitio vertendum sit quam ipsi temere hunc secuto (conf. supra p. 21 sq.), id tamen a me impetrare non possum, ut credam hunc ita se in exempli quod effingebat imitando servitutem quasi addixisse, ut ab eo nunquam ne minimum quidem recesserit. Sed hoc utcunque est Terentius ipse cavit, ne in dubio relinqueretur quo illa res spectaret. Qui ad locos supra allatos ubi de fabulis contaminandis, ut adversarii invidiose loquebantur, mentio fit paulo attentius animum adverterit, neque opinione praeiudicata tenetur is ni fallor sibi iam persuadebit valere illud tantum de ea ratione qua in fabulam aliquam ex alia partes quaedam parum apte et convenienter transferuntur.

Qua autem causa permotus hanc viam Terentius sibi ingrediendam esse duxerit a re alienum non videtur quaerere. Est haec mea quidem sententia tum ab ipso poeta tum ab iis quos fabularum spectatores habebat repetenda.

Ille igitur cum sine dubio se ea vi et comica virtute in Plauto tam conspicua, quae poetam insignem etiamsi aliorum sequatur exempla emancipet, destitutum esse ipse sentiret, ne, Menandrum Apollodorum alios quamquam lectissimis verbis in Latinum sermonem convertebat, diligentis potius interpretis quam poetae nomine dignus haberetur, eam rationem quam quodam modo Naevius Ennius Plautus iam praeiverant sibi ineundam esse putaverim existimasse, ex qua aliquam propriae inventionis laudem sibi futuram esse sperare licuit. Quae quidem apud aequos et intelligentes huius rei existimatores eo minus ei deesse potuit quo magis apparebat re vera satis multum artis desiderari, ne quis hac lubrica via laberetur. Et hoc credo Terentius ipse significaturus erat Andr. prol. v. 20 et 21.

Altera quam Terentius habebat rationem sine dubio ad spectatores pertinebat. Exemplis enim idoneis quod supra iam satis confirmasse mihi videor, Terentium si quid mutaverit id ea fere ratione fecisse, ut talia exsisterent Romanorum indoli ingenio vitae quae magis accommodata essent et responderent, hoc eius studium in fabulis quoque contaminandis ut maledici obtrectatores loquebantur elucet. Ita Charini et Byrrhiae personas quae non inveniebantur in Andria Menandrea addidit fabulae suae, ut haec iam ex duorum adolescentium periculis gaudiisque componeretur. Conf. schol. ad II, 1, 1. Et primam quoque Andriae suae scenam non de ea Menandri fabula transtulit, quam praecipue sequebatur, sed de illius Perinthia. Conf. schol. ad Ter. Andr. prol. v. 13: »Sed quare se onerat Terentius cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur, quia conscius sibi est primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur ut apud Terentium cum liberto, at in Andria Menandri solus senex est.« Prorsus falso igitur iudicat quicunque ad eundem Terentii versum effutivit haece: »Apparet non de industria sed casu esse translata ea quae ex Perinthia eodem sensu iisdemque verbis perscripta fuerunt;« neque vero post ea quae supra p. 28

dixi difficile erit ad intelligendum cur hoc a poeta Latino ita institutum et factum sit [51]).

Adelphorum prologo profitetur Terentius se ex Diphili fabula, quae Apothnescontes nominabantur, eum locum quo adolescens lenoni eripit meretricem sumpsisse. Hoc autem factum Meinekius Men. et Phil. reliq. p. 1 recte iudicat tam arto et necessario cum tota actione coniunctum esse vinculo, ut, quia nisi cum magno fabulae detrimento ab ea divelli non posse videatur similem locum Menander Adelphis inseruisse putandus sit. Idem autem si statuit Terentium, ne uni omnia Menandro debere videretur, consulto hanc fabulae partem e Diphilo assumpsisse, viro doctissimo assentiri minime possumus. Quis enim non concedat Terentium si nulla alia causa recessisset a Menandro, quem omnibus eiusdem operis auctoribus abstulisse nomen, et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxisse Quintil. X, 1, 72 aeque honorifice ac vere videtur iudicasse, dignum fuisse quem adversarii maledictis peterent? Itaque Grauerti sententiam arbitror amplectendam esse qui l. c. p. 132 raptionem psaltriae Menandri Adelphis non defuisse quidem statuit, in ipsa tamen scena non factam sed narrando commemoratam esse. Scena 1 autem act. II, qua haec aguntur, Plautinam quandam speciem prae se ferente quin magnus Romanorum spectatorum risus coortus sit vix dubitari potest. — Neque meo quidem iudicio Terentius inepte egit quod parasiti Colacis et militis gloriosi personas in Eunuchum transtulit. Conf. Eunuch. prol. v. 32, et schol. ad II, 1, 22: »Haec apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est, parasiti persona et militis, sed de Colace translatae sunt.» Melius autem hoc perspicitur e Persio et antiquo huius glossatore. Ille enim si sat. V, v. 161 sqq. scribit:

Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor. Crudum Chaerestratus unguem
Abrodens ait haec. An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscaenum frangam? dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto.

Euge puer sapias, dis depellentibus agnam
Percute. Sed censen' plorabit, Dave, relicta?
Nugaris; solea puer obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses.
Nunc ferus et violens: ut si vocet haud mora dicas.
Quidnam igitur faciam? Nec nunc cum arcessat et ultro
Supplicet, accedam? Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc, :

comparatis quae glossator adnotavit: »Hunc locum e Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chaerestratus adolescens alloquitur tamquam amore Chrysidis derelictus, idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. Apud Terentium personae immutatae sunt;» illud iam dubitare non possumus, quin in Menandri Eunucho inventa sit persona quae Terentiani Thrasonis partes quocunque modo sustinuerit. Excluso enim Chaerestrato sive ut Terentius eum maluit nominare Phaedriae alter esset necesse fuit, qui a Chryside sive Thaide praeferebatur. Neque igitur verendum videtur, ne a vero aberremus statuendo Gnathonem, cui apud Menandrum Struthias nomen erat, et Thrasonem substitutos esse a Terentio utpote qui aliquanto maiorem Eunucho Latinae vim et quasi momentum adderent, quam servatis quae in Menandri Eunucho inveniebantur iam personae factum esset. Colace enim fabula Menandrum consummati adulatoris eiusdemque parasiti mores vitamque adumbrasse ipsum fabulae nomen haud obscure significat et diserte testatur Athen. VI, p. 258 e: *κεχαρακτήρικε δὲ ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν Κόλακα Μένανδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι.* Atque Struthias inter parasitos non parum inclaruit. Conf. Meinek. Men. et Phil. reliq. p. 98 et 99.

Terentium autem si videmus singulos locos atque scenas ex aliis non modo eiusdem sed diversi quoque poetae Graeci fabulis in eam quam potissimum sibi interpretandam sumpserat recepisse, et personas aut cum aliis permutasse aut plane novas induxisse, facile patet in iis quoque partibus et personis, quas universe servabat, necessario aliquid immutasse,

Primo ne medium medio ne discrepet imum,
id quod praecipit Hor. A. P. v. 152.

Neque hoc fecit invita Minerva atque artis quam tractabat praeceptorum ac legum ignarus aut immemor. Hodie enim quamquam valde dolendum est Menandri et Apollodori fabulas non exstare integras, tenuibus tamen scholiastae indiciis quae ad comparandas Terentii et eas quas hic transtulit fabulas aliquid faciunt, et paucis quae harum undecunque supersunt reliquiis id quidem apparet aut effici potest poetam Latinum gravissima argumenti ut a Graecis descriptum et expositum erat momenta non omisisse. Quod, cum adhuc de universa re disputatum sit, ut penitus perspiciatur, opus est ut iam singula persequentes accurate, quantum id fieri potest, dispiciamus, quatenus in eis fabulis, quibus plurium Graecarum partes contineri constat, exemplaris quod tanquam fundus ei erat oeconomiam ac descriptionem Terentius servaverit; quas nam partes et personas aliunde receptas huic inseruerit, et huius ipsius personae et res num ita affectae sint, et quommodo hoc factum. Sed per angustias spatii huic scriptionum generi fere concessi neque hac re iam defungi licet, nec reliqua non pauca addere, quae ad rationem quam Terentius in fabulis Graecis Latine convertendis secutus est omnino cognoscendam aliquid facere videantur.

Adnotationes.

[1]) Anonym. de comoed. p. XXX: *Τῆς δε νέας κωμῳδίας γεγόνασι μὲν ποιηταὶ ξδ', ἀξιολογώτατοι δὲ τούτων Φιλήμων Μένανδρος Δίφιλος Φιλιππίδης Ποσείδιππος Ἀπολλόδωρος.*

[2]) Constat hoc Suidae testimonio cuius verba sunt p. 619 ed. Bernhardii: *Ἀπολλόδωρος Ἀθηναῖος κωμικός. ἐποίησε δράματα μζ', ἐνίκησεν έ.*

[3]) Anonym. p. XXXI: *Δίφιλος Σινωπεὺς κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐδίδαξε Μενάνδρῳ. — δράματα δὲ αὐτοῦ ρ.* Et hic quidem numerus comprobatur a Strabone quoque XII p. 546.

[4]) Suid. p. 780 ed. Bernh. *Μένανδρος — κωμικὸς τῆς νέας κωμῳδίας — γέγραφε κωμῳδίας ρή.* Cum Suida consentit Anonym. p. XXXI, et Cosconius vit. Terentii quae ad Suetonium auctorem referri solet, qui Terentium redeuntem a Graecia perisse in mari dicit cum centum et octo fabulis conversis e Menandro. Qui ab hoc numero paulum recedunt, et CIX aut CV ab illo scriptas fuisse memoriae prodiderunt horum testimonia allata invenies a Meinekio viro egregio Menandr. et Philem. reliq. praef. p. XXIX.

[5]) Suidas et Eudocia commemorant Philemonis *κωμῳδίας πρὸς ἐνενήκοντα,* accuratius scribit Anonym. p. XXX *σώζεται δὲ αὐτοῦ δράματα ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα,* et Diodorus Siculus XXIII, 7: *Φιλήμων — ἔγραψε δράματα ἑπτά καὶ ἐνενήκοντα.* Conf. Meinek. l. c. p. XLVI.

[6]) Suidas: *Φιλιππίδης — ἐδίδαξε καὶ αὐτὸς δράματα μέ.*

[7]) Suidas: *ἔστι δὴ τὰ δράματα αὐτοῦ (Ποσειδίππου) ἕως τῶν λ'.*

[8]) Latini poetae inprimis illos sex, qui summum inter auctores novae comoediae locum obtinebant tum ex iudicio Anonymi de Com. p. XXX tum grammatici apud Montefalc. Bibl. Coisl. p. 597, nisi quod hic Posidippum non in iis refert quibus primas censet deferendas esse, imitandos sibi prudenter sumpserunt praeter Philippidem

cuius ullam fabulam Latine expressam esse non novi. Atque hoc quam vere dictum sit ut aliquatenus pateat, haec eius rei documenta in medium protulisse non alienum videtur. Plautus *Casinam* ex Diphili *κληρουμένοις* vertit (conf. prol. v. 31 sqq.), ex eodemque fonte *Rudentem* fabulam quin deduxerit ut prologi v. 32 sq.:

Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit,

dubitare vix sinunt, ita Diphili *Συναποθνήσκοντας Commorientes* fecisse fabulam Terentius Adelph. prol. v. 5 sq. fidem facit. *Mercatoris* argumentum Arsinas desumpsit e Philemonis *Ἐμπόρῳ* (conf. prol. v. 9), et eiusdem poetae Graeci *Θησαυρὸν* Latine reddidit *Trinummo* (conf. prol. v. 18 sqq.). In illa quoque fabula quae *Bacchides* appellantur Plautum exemplum Philemonis secutum esse Silenus quidem prologus asseverat v. 36 sqq. Sed cum haec ipsa subditicia esse constet (conf. Niebuhrii script. histor. et philol. p. 170 sq.), neque de fabula Philemonis quae Euantides nuncupantur aliunde quidquam compertum habeamus, videtur sane adsensus eo magis esse cohibendus, quod Ritschelius disput. de Bacch. p. 9—15 non sine aliqua veri similitudine demonstravit, Plautinae fabulae fontem esse Menandri *Δὶς ἐξαπατῶντα.* Neque *Poenulum* et *Cistellariam* Menandreae esse originis indicia quaedam desunt. Conf. Meinek. Menandr. et Philem. reliq. p. 92 et 209; et *Stichum* ad Menandreae fabulae quae vocabatur *Φιλάδελφοι* exemplum esse expressam, titulo quem Ang. Maius primus repperit et edidit constare satis probabiliter cum C. Fr. Hermannus tum Ritschelius disputarunt. Conf. Mus. Rhen. a. 1841 p. 29 sqq. — *Colacem* Menandri a Naevio et Plauto Latinas esse factas Terentii Eunuch. prol. v. 25 sq. satis constat. — Philemonis fabulam quae *Ἁρπαζόμενος* teste quidem Athenaeo XIV p. 663 f., sed Polluce VII, 28 *Ἁρπαζομένη* inscribebatur Caecilius sine dubio Latine expresserat ea comoedia quae itidem modo *Harpazomenos* modo *Harpazomene* nominatur. Conf. Meinek. l. c. p. 362. Scripserat idem poeta Graecus *Γάμον* quoque fabulam; conf. Pollux X. 176 et Schol. Plat. ed. Turic. p. 921 b (Bekk. p. 322). Caecilianam eiusdem

nominis novimus e Festo v. *Toxicum*. — Inter Posidippi fabulas Ἐπίσταθμον memorat Pollux X, 139, quam Caecilius in sua *Epistathmo* quin secutus sit vix dubium erit, si Spengelius hoc nomen iusta coniectura restituit *C. Caecil. Stat. deperd. fabul. fragm.* p. 4. Neque improbabile cuiquam videbitur hunc poetam Diphili Ἔμπορον, cuius mentionem facit Athenaeus VI p. 226 e, et VII p. 316 f, aut Philemonis eiusdem nominis fabulam imitatum esse, si quidem Lipsius Epist. Quaest. I, 18, et Turnebus Advers. 29, 20 recte ut videtur quod apud Nonium v. *auscultare* in libris legitur corrupte: *Caecilius Embono* mutaverunt in *Caecilius Emporo*. — Menandreis autem fabulis videtur Caecilius inprimis delectatus fuisse ita ut Meinekius locuples harum rerum testis praef. ad Menandr. p. XXXV pronuntiaverit, paucissimas huius poetae Latini comoedias esse quas e Menandro non sumpserit. — Attilium quem Volcatius Sedigitus apud Gellium N. A. XV, 24 inter comicos Latinos quinto recenset loco, Menandri fabulam quae *Μισογύνης* appellatur, et a Phrynicho Epit. p. 417 omnium poetae Graeci praestantissima existimatur Latine reddidisse veri simillimum putant, et in controverso illo Ciceronis loco Tusc. Disp. IV, 11 *quale in Μισογύνῃ Attilii est* scribendum censent Meinekius Men. et Phil. reliq. p. 115, et Weichertus Poet. Lat. reliq. p. 140 sqq. — In *Leucadia* fabula Turpilium poetam se composuisse ad Menandri exemplar e Servio ad Virg. Aen. III, 279 recte colligitur. Conf. Meinekius Fragm. Com. Graec. vol. IV, p. 158. Idem factum crediderim in *Canephoro* (conf. Bothii Poet. scen. Lat. vol. VI, p. 78), cuius tituli fabula inter Menandreas quoque nominatur. Conf. Meinekius l. c. p. 143. De Turpiliana *Demiurgo* conf. Both. l. c. p. 81, de Menandrea Meinek. l. d. p. 103. Eiusdem poetae Latini *Epiclerum* ex Menandrea ductam esse iam Dübnerus monuit. Conf. Meinek. l. c. p. 117. Sufficient haec ni fallor ad sententiam probandam, Turpilium quoque Menandri fere vestigia secutum esse, quamquam id non semper factum. Nam in *Lemniis* (conf. Both. l. c. p. 85, et Meinek. l. c. vol. I p. 455) ei hunc non fuisse auctorem recte mihi videor

statuere posse cum nusquam hoc nomine fabulam a Menandro esse compositam invenerim. *Λημνίας* scripserat Aristophanes, e cuius fabula quae supersunt collegit Dindorfius Poet. scen. Graec. N. 324—341, et Nicochares. Conf. Meinek. l. c. vol. I, p. 255. Sed hos antiquae comoediae poetas non magis probabile mihi videtur Turpilium esse secutum, quam Antiphanem mediae quae dicitur comoediae poetis adnumeratum, conf. Meinek. l. d. p. 304 sqq.; ut satis credibile sit e Diphili fabula quam Athenaeus VII, p. 307 f memorat Latinam esse sumptam. Posidippi *Παιδίον* commemorat Athenaeus III, p. 94 c; *Φιλοπάτορα* Antiatticista p. 93; Turpilii quoqe duae fabulae isdem nominibus citantur a Nonio. Conf. Both. l. c. p. 89 sq. — Licinius scripsit *Neaeram* (conf. Gellius N. A. XIII, 22), et Philemonis eodem titulo fabulam ab Athenaeo XIII, p. 590 a commemoratam haud scio an imitatus sit, quamquam Timoclis quoque unam sic nominatam fuisse idem Athenaeus XIII, p. 567 e testatur. — Luscius Lanuvinus iste Terentii obtrectator atque adversarius Menandri *Phasma* dedit, conf. Terent. Eunuch. prol. v. 9; atque illum eiusdem poetae Graeci *Θησαυρὸν* quoque Latine reddidisse sine dubio recte statuitur. Conf. scholiast. ad Terent. Eunuch. prol. v. 10 et Meinek. ad Menandr. et Philem. reliq. p. 80. – Afranius autem si ipse *Compitalibus* confessus est, se a Menandro quaedam sumpsisse (conf. Macrob. Sat. 6, 1), hoc cum illum in togatis excelluisse sciamus non ad fabularum argumenta sed locos tantum singulos spectare potest. Itaque scribit Horatius Epist. II, 1, 57: *Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,* et Cicero de Fin. I, 3, 7: *Locos quidem quosdam si videbitur transferam, et maxime ab iis quos modo nominavi quum inciderit, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet.* — Terentius denique quos secutus sit e poetis Graecis si ab Hecyra discesseris neque dubium est et satis notum.

Ex iis quae quidem pro eo quod nunc mihi propositum est magis inchoavi quam pertexui id mihi videtur apparere, quos nam inter poetas Graecos prae ceteris imitandos esse Latini fabularum scriptores praestantissimi

duxerint, quidque statuendum sit de Hieronymi testimonio Epist. ad Pammach.: *Terentius Menandrum, Plautus et Caecilius veteres comicos secuti sunt.* Illi tamen quamquam egregiae paucitati non ita se omnes in perpetuum quasi addixerunt, ut nullam alius poetae fabulam Romanis placituram esse putaverint. Gellius N. A. II, 23 init. scribit: *Comoedias lectitamus nostrorum poetarum sumtas ac versas de Graecis, Menandro ac Posidippo aut Alexide et quibusdam item aliis comicis.* Et Alexide quidem saepius Latinos in rem suam usos esse exemplis probari potest. Inter fabulas enim quas ille scripsit memorantur *Ἐπιστολὴ* ab Antiatticista p. 112; *Φυγὰς* ab Athenaeo IV, p. 164 f; VI, 229 b; Caecilii *Epistola* nota est ex Prisc. l. VI, p. 695, et de *Exsule* conf. Non. v. *abscondit* et *putare.* Caecilianae fabulae quae *Syracusii* inscripta erat Nonius mentionem fecit v. *dulcitas, similitas, stare;* Alexidis *Συρακούσιον* novimus per Stobaeum CVIII, 47. Meinekius cum ex Athenaeo III, p. 120 b et Polluce X, 130 constet Alexidis fuisse fabulam *Σωράκους*, hoc ipsum apud Stobaeum substituendum putat Fragm. Com. Graec. vol. I, p. 402, qua in re vereor ut viro egregio adsentiendum non sit, cum titulus Caecilianae fabulae non dubius facere crediderim, ne Alexidis comoediae nomen temere in dubium vocemus. Eiusdem Alexidis *Λαμπάδα* et *Δημήτριον ἢ Φιλέταιρον,* de quibus fabulis constat ex Athenaeo XIV, p. 654 f et VI, p. 241 b, Scaliger. iam ad Varron. L. L. VI p. 282 ed. Bipont. et Casaub. ad Athen. VIII, p. 338 d iudicarunt Latine versas esse a Turpilio. — Plautus Demophili *Ὀναγὸν Asinariam* fecit suam, conf. prol. v. 10 sq.; eiusdem poetae Latini *Mostellariam* e Menandri Phasmate imitando expressam esse suspicatus est Gesnerus ad Plinii epist. VII, 27. Sed Plautina fabula quae aguntur cum discrepent ab argumento Menandreae fabulae quod exstat apud scholiastam Terentii ad Eunuch. prol. v. 9, Meinekius Fragm. Com. Graec. vol. I, p. 487 censet Plautum Theognoti fabulam *Φάσμα ἢ Φιλάργυρον* commemoratam ab Athenaeo III, p. 104 b et XV, p. 671 a secutum esse non improbabile fore ei qui utriusque fabulae argumenta consideraverit. Conf. autem quae contra dixit Wolffius

ad Plauti Aulul. p. 19. A Plauto autem si qui fuerunt qui provocantes ad Horat. Epist. II, 1, 58:

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi

putarent Epicharmum quoque imitatione expressum esse, in quo numero est Grysarius de Doriens. Com. p. 300 sq., a vera illius versus sententia aberrasse putandi sunt, quam alii recte hanc esse statuerunt: Plautus cuius fabulae maximam partem sunt e genere motoriarum semper ad eventum festinat, hac in re Epicharmi exemplum secutus. Conf. Welcker. Ephem. Darmstad. a. 1830 II, p. 454 et Orell. ad Horat. l. c.

9) Quintil. X, 1, 99: »In comoedia maxime claudicamus —. Vix levem consequimur umbram.« Gell. N. A. II, 23: »Comoedias lectitamus nostrorum poetarum sumtas ac versas de Graecis —. Neque cum legimus eas nimium sane displicent; quin lepidae quoque et venuste scriptae videntur, prorsus ut melius posse fieri nihil censeas. At enim si conferas et componas Graeca ipsa unde illa venerunt ac singula considerate atque apte iunctis et alternis lectionibus committas, oppido quam iacere atque sordere incipiunt quae Latina sunt; ita Graecarum quas aemulari nequiverunt facetiis atque luminibus obsolescunt.« Non mirum esse potest horum scriptorum auctoritatem secutos inter recentiores quoque exstitisse qui de Romanorum comoedia satis iniquum tulerint iudicium. Conf. Bernhardii adumbrat. hist. litt. Rom. p. 184; Mansonis script. varii argumenti p. 101.

10) Huius viri verba sunt: »*Kein Stück dieser beiden Männer* (Plautus und Terentius) *kann für originell und römisch gelten, sie sind nur Nachahmer, Bearbeiter, und Werth oder Unwerth ist vorzugsweise den griechischen Vorbildnern zuzuweisen. Dafs hie und da ein römischer Beamter eine römische Strafse, ein römisches Thor u. dgl. genannt wird, kann die völlig fremde Sitte und Handlungsweise nicht umgestalten, nicht schaffenden Dichtergeist erweisen.*« Plauti causam egit G. A. Beckerus *de Comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis Quaestiones* p. 77 sqq.

11) Recte ut videtur ita transposuit verba Guyetus

quae hunc in modum antea legebantur: Ἐγὼ γάρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός.

[12]) Idem Guyetus ita hunc versum constituit. Conf. quae Klotzius de varietate lectionis adnotavit.

[13]) Bentleium ne versum 23 eiiceret Graeca verba iam admonere poterant.

[14]) Hunc Licinium plerique eundem habent atque illum a quo librum *de poetis* scriptum esse Gellius testatur N. A. XVII, 21. Conf. Madvig. ad Cic. locum quae adnotavit, Orellii Onomost. p. 344, Weichert. Poet. Lat. p. 136 sq.

[15]) A Cicerone hoc carmine quam fabulam fuisse sine idonea causa fuerunt qui opinati sint plurium Latinorum scriptorum et haud scio an poetarum tantum comprehensas esse virtutes et laudes tum verba illa: *Tu quoque,* tum ipse titulus non obscure mihi videntur significare. *Λειμων* enim cum primitus id significet quod Latini *pratum* dicunt ad eas res non raro a sophistis transfertur quae vivido et hilari colore ornatae et quasi obductae sunt. Conf. Jacobsius quae adnotavit ad Achillem Tatium p. 478 et 486. Itaque quibusdam inter Graecos convenientem scilicet argumento titulum anquirentibus placuisse hoc modo libros suos inscribere et per se mirum esse non potest, et testantur Plinius H. N. praef. 18, et Gellius N. A. epilog. 6 qui ibid. 8 refert fuisse quoque qui *Pratum* librum suum inscripserit. Et Suidas de Pamphilo memorat: ἔγραψε *Λειμῶνα,* ἔστι δὲ ποικίλων περιοχή. Scripserunt autem iam ante Ciceronem nonnulli dedita opera *de Poetis Latinis* de quibus exposuit Madvigius opusc. academ. p. 107. Non similis autem esse ratio Caesaris versuum mihi videtur, neque hos ampliore quodam carmine comprehensos esse putaverim. Itaque liber quoque non memoratur, unde transscripti sint. Sed respexit Caesar sine dubio Ciceronis verba, id quod mihi quidem vel propterea certum videtur quod utriusque de Terentio iudicium ab isdem verbis initium capit. Neque quisquam facile dixerit alterum alterius esse imitatorem, quod in tali re ab aliis non raro factum esse constat, et haud scio an huius ipsius generis satis apertum vestigium exstet apud Ausonium *Commem. Profess. Burd.:* Tu quoque in

aevum Crispe futurum — venies. Sed immutat quodam modo Caesar ea quae Cicero iudicarat, neque in pretio Terentii poetae constituendo solam orationis facultatem esse spectandam non obscure significat. Veniunt hic in mentem Ciceronianus *Cato* et Caesarianus *Anticato* (conf. Quint. I, 5, 68; Gell. IV, 16; Juvenal VI, 337, alios), quamquam horum rationem aliam esse probe scio.

[16]) *Virtutem* neque *vim* dici *comicam* perspexit et ostendit F. A. Wolfius script. var. argument. p. 452 sq.

[17]) Ea ipsa res quod Romani si ab satira discesseris omnium ceterorum poesis generum quae colebant argumenta a Graecis fere desumebant quotiens pro gravissimo documento allata sit, huic populo a natura omnem poeticam indolem et ingenium denegata fuisse, in vulgus notum est. Haec tamen opinio haud scio an nusquam magis inveteraverit et valuerit, quam in re scenica. Et tragoediam quidem Romae prorsus neglectam iacuisse ita omnium fere consentiens et quasi explorata fuit sententia, ut in rem ipsam utrum re vera ita se habuerit non tam inquireretur, quam argumenta populi Romani aut graviter vituperandi aut qualicunque modo excusandi cupidius quam verius anquirerentur. Qua in re quod iam aliquanto melius videmus opera Langii et Welckeri effectum est. Conferantur illius *Vindiciae tragoed. Rom.* quae insunt in eius scriptis varii argumenti p. 16 sq. et quae hic docte et copiose scripsit in libro qui inscribitur: »*Die Griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus*« vol. III, p. 1348 sq.

[18]) Conf. verba F. A. Wolfii quae in scholis de Homero habitis locutus est ad Iliad. II, 299: »*Die Lateiner gingen hauptsächlich davon aus, daſs eine Uebersetzung Nationalwerk sein und daher alles* [*den Genius der Sprache und Nation* adiecit Usterius] *Beleidigende wegbleiben müsse. Wer das Original ganz haben wollte, muſste es in der Ursprache lesen.*« Quam rationem Cicero in hoc genere inierit ipse indicavit atque exposuit *de optim. gen. dic.* c. V, §. 14 et c. VII, §. 23.

[19]) »(Terentii scripta) sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc habitura gratiae si intra trimetros stetissent.«

[20]) Haec est scriptura libri Bembini, vulgo legitur *negligi;* Faernus coniecit *calvier,* Bentleius *ludier,* editores Bipontini *laedier,* Bothius dedit *claudere.*

[21]) Scripturae quam Faernus dederat Guyetus et Bentleius e suis codicibus substituerunt hanc: *E re natae,* inconsiderate olim Meinekio quoque probatam. Scholiasta vulgatam non male tuetur dum scribit: »Sic proprie dicimus de iis quae contra voluntatem nostram acciderunt ut nunc vitium virginis [Ergo e re nata est vitio virginis]. Sic Lucilius p. 1, 1: *Hic e re nata sic eius dedit: haud malus est.* Et sic maluit dicere, cum non Aeschino culpam sed potius casui attributam vellet. Est autem ordo: Nihil potuit melius e re nata fieri, quam id quod factum est, hera, ut quando quidem vitianda erat virgo ab eo vitiaretur qui erat expetendus ad matrimonium.» Locutus est eodem modo scholiasta teste Lucilius, sic locutus est Plautus Trucul. V, 70: *Ut rem natam video hoc accipiundum est quod datur;* Cas. II, 5, 35; Bacch. II, 2, 40; neque aliter dixit Scipio ille Africanus quocum usu ac familiaritate coniunctus erat Terentius. Conf. Fest. p. 258: »Quatenus significat qua fine ut hactenus hac fine. At quatinus quoniam, sed antiqui quatenos dicebant, ut Scipio Africanus in ea oratione quam scripsit postquam ex Africa rediit: *Uti negotium natum erat quatenos castra ita munita erant ut posses partem exercitus abducere.*» Vix opus est ut moneam magnam inter Terentii et Africani locum intercedere similitudinem. Quem ad modum enim ille verbis: *e re nata* accuratius definiendis addidit: *quando vitium oblatum est,* sic verba: *quatenos castra ita munita* cet. explicationi quodam modo inserviunt eorum quae antecedunt: *Uti negotium natum erat.* Hinc infringuntur atque concidunt ea quae Bentleius contra dixit: »Si *E re nata* cum Donato explices: *e vitio virginis* (haec verba quod supra uncis appositis iam significavi non sunt veri illius Donati, id quod confido nemo non fore ut verbo monitus sentiat), quid cum illo facies quod sequitur: *quando vitium oblatum est?* siquidem bis idem dicetur.» Non ita dissimile igitur est quod plus semel Cicero scripsit, *pro re nata.* Conf. ad Attic. VII, 8, 2; VII, 14, 3; XIV, 6, 1; et illud

e re nata adamavit Apuleius antiquitatis affectator, cuius locos qui huc faciunt congessit ipse Bentleius. Quod autem momentum in hac re facit, a Terentio illam legem videmus observatam, ut *filium filiam* diceret *gnatum gnatam*, nunquam *natum natam*. Conf. Naekii opusc. philol. p. 188 sq.

[22]) Illis quae ut metricum inter Latinum poetam et Graecos discrimen probaremus exempla attulimus aliquam lucem mihi videntur accipere Quintiliani verba supra adn. 19 transscripta, de quibus saepe multumque disceptatum est. Longe aliter enim iudicarunt de hoc loco Burmannus, Bentleius de metris Terentianis p. VIII (edit. Lips.) et qui hunc secutus est Spaldingius, Manso in libro quem inscripsit: *Vermischte Abhandlungen und Aufsätze*, p. 101, Bernhardius adumbrat. hist. litt. Rom. p. 104, N. 350. Menander enim quamquam ut Marius Victorinus p. 2500 refert: »In comoediis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit, et rursus ad iambicos redit,« ex iis tamen quae supra posui exemplis patet trimetris iambicis a poeta Latino non ita raro substitutum esse aliud metri genus. Atque hoc ipsum haud scio an rhetori displicuerit hanc potissimum ob causam. Iambus frequentissimus est in iis, quae demisso et humili sermone dicuntur, sunt Ciceronis verba Orat. c. 58. Itaque simplici ac perspicuo dicendi generi et placido aequabilique flumini novae comoediae aptissimus iudicabatur. Reliqua autem metri genera, quorum ibi fere rectus usus est, si oratio solito magis assurgat atque concitatior fiat, eo minus videri poterant Quintiliano sedatis lenibusque vocibus quibus Terentius Graecas fabulas Latine expresserat accommodata esse, cum hac in re ut vidimus exemplorum Graecorum vestigia poeta Latinus adeo dereliquisset.

[23]) Ciceroni hanc rationem non prorsus probatam esse videtur significari verbis Tusc. Disp. III, 27, 65: »Quid ille Terentianus *ipse se poeniens* id est *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*.« Conf. Hor. Serm. I, 2, 20 sq. Sed hoc ex illo studio profectum est Latinis ostendendi, eorum linguam non ita esse prae Graeca inopem quam multis videretur. Conf. Cic. de Fin. I, 3, 10: »Ego autem satis mirari non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium.

Non est omnino hic docendi locus, sed ita sentio et saepe disserui Latinam linguam non modo non inopem ut vulgo putarent sed locupletiorem etiam esse quam Graecam.» Scribit Donatus in simili re init. argum. in Adelph.: »Haec fabula Adelphi palliata ut ipsum indicat nomen, et plurali numero cum sit una, et masculino genere cum sit comoedia, et Graeca lingua cum sit Latina censetur. Potuit eam Terentius *Fratres* dicere, sed et Graeci nominis euphoniam perderet, et praeterea togata videretur, ad summum non statim intelligeretur Menandri esse quod Terentius inprimis lectorem scire cupit.» Neque vero plus offensionis habet *Heautontimorumenos* quam Naevii *Agrypnuntes* Turpilii *Paraterusa* Caecilii *Anagnorizomene Harpazomene Boethuntes Polumeni.* Afranius Atellanarum scriptor habebat sane, cur fabulam unam inscriberet *Fratres;* attamen L. Pomponius quoque fecit *Adelphos.* Omnino hac in re tenendum est tum temporis Graecae linguae facultatem Romae non exiguam fuisse, ita ut non pauci historias adeo Graece scriberent, in quibus fuit A. Postumius Albinus consul a. u. c. 603. Conf. Cic. Brut. 21, 81; Gell. N. A. XI, 8; Polyb. XL, 6, p. 715, Schweigh. P. Corn. Scipionem Africani maioris filium dulcissime scripsisse historiam Graecam dicit Cic. Brut. 19, 77. Fabii Pictoris annalium Graecorum mentionem fecerunt Cic. de Divinat. I, 21, 43; Dionys. Halic. A. R. I, 80; 83; IV, 30; VII, 70. Conf. Kraus. Hist. Rom. p. 132; Lachmann. de fontibus Hist. T. Livii II, p. 15. De L. Cincio Alimento, qui itidem Annales Graece scripsit, conf. Dionys. Hal. I, 6 et Lachmann. l. c. p. 16 et 17. — Hinc factum est ut Ennius Plautus inprimis Lucilius suis carminibus fabulis satiris Graeca verba atque adeo totos versus sine suae aetatis hominum offensione inserere possent, id quod Horatium scimus graviter vituperasse, et quae Ciceronis de hac re sententia fuerit ipse satis declaravit Tusc. Disp. I, 8, 15 his verbis: »Dicam si potero Latine, scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in Graeco Latine.»

[24]) Lessingius Opp. vol. VII, p. 402 sq. edit. Lachm. (sive vol. XIII, p. 263 sq. ed. Carolir.) veritus, ne scholiastae verba

perperam intelligerentur, aut *confingentem vel* aut *confingere et* legendum esse coniecit. Sed a loci vera sententia ipse mihi videtur paulum aberrasse dum haec scribit: »*Diese Periode könnte leicht sehr falsch verstanden werden. Nehmlich wenn man sie so verstehen wollte, als ob Donatus auch das für etwas ungereimtes hielte,* comicum aperte argumentum confingere. *Und das ist doch die Meinung des Donatus gar nicht. Sondern er will sagen: es würde ungereimt seyn, wenn der komische Dichter, da er seinen Stoff offenbar erfindet, gleichwohl den Personen unschickliche Namen oder Beschäftigungen beylegen wollte, die mit ihren Namen stritten. Denn freylich da der Stoff ganz von der Erfindung des Dichters ist, so stand es ja einzig und allein bey ihm, was er seinen Personen für Namen beylegen, oder was er mit diesen Namen für einen Stand oder für eine Verrichtung verbinden wollte. Sonach dürfte sich vielleicht Donatus auch selbst so zweydeutig nicht ausgedrückt haben, und mit Veränderung einer einzigen Sylbe ist dieser Anstofs vermieden.*» Iam eas quas supra memoravi coniecturas proponit. Sed vir egregius verbo *confingendi* falsam subiecit notionem *inveniendi,* cum si lingua qua vulgo utimur dicendum est potius sit: *erdichten.* Neque ad vim quae adverbio *aperte* subest satis attendit. Comoediam enim cum veteres ipsi *imitationem vitae speculum consuetudinis imaginem veritatis* esse dixerint, scholiasta absurdum esse statuit *aperte* argumenta confingere veritatis vitae nulla ratione habita.

[24 b]) Ea quae de Terentio commentatus sum cum iam dudum confecta et absoluta essent, ad me *Quaestiones Terentianae* sunt perlatae, quas Guil. Ihne ad summos in philosophia honores in academia Rhenana impetrandos scripsit. In quibus si erunt quae respicienda videantur, in his adnotationibus breviter commemorandi opportunitas erit. Et diligenter ille inquisivit in sententiam, quam Fr. Hermannus loco supra dicto proposuit, p. 31 usque ad finem.

[25]) Bentleius, apud Faernum cum legatur *ne gravere,* e codice Bembino sine dubio profectum, in omnibus suis libris esse *ne gravare* testatur. »Sic alibi» inquit »saepe:

ne nega ne crucia te,» eamque scripturam ipse recepit in verborum contextum. Servius ad Virg. Aen. VI, 544 et Laur. Valla elegg. III, c. 28 talia quale est Virgilianum l. c. *ne saevi* antiquis et poetis magis probata esse statuerunt, Ruhnkenius autem dict. ad Phorm. IV, 3, 59 et Burmannus ad Ovid. Art. amat. I, 343 *ne clama* magis Latinum esse quam *ne clames* pronuntiaverunt, in eandemque sententiam scripsit Zumptius Gram. Lat. p. 498 (edit. octav.): «*Die zweite Person Präs. Conj. negativ ist in der classischen Sprache sehr selten: also nicht ne clames, sondern nur ne clama noli clamare.*» Paulo aliter nuper hac de re Schulz. quoque praecepit Bibl. critic. a. 1843 p. 294. Nunc non id ago, ut horum neminem non satis accurate ac subtiliter de imperativi et coniunctivi usu et discrimine praecepisse demonstrem, quod in eo positum est, utrum scriptor vehementius et maiori cum vi quidquam fieri vetet, an lenius agendum censeat, neque aliorum scriptorum qui in hoc genere usus fuerit exquirendum mihi nunc proposui; sed satis habeo ipsius Terentii rationem tantum habere, et tot eius locos afferre unde pateat eam scripturam esse recipiendam quae maiori librorum auctoritate commendetur, neque orationis contextu reiiciatur. Dixit igitur *ne nega* Andr. II, 3, 10; Heaut. III, 3, 3; Phorm. V, 3, 20; *ne saevi* Andr. V, 2, 27; *ne crucia te* Eun. I, 2, 15; *ne lacruma ne retice ne verere* Heaut. I, 1, 32 et 33; *ne clama* Phorm. IV, 3, 59. Sed Andr. IV, 4, 50 *ne me attingas;* Eun. II, 3, 97: *verum ne post conferas culpam in me;* ibid. V, 5, 18: *here ne me spectes.* Itaque cum huc accedat quod illud *ne gravere* aliquid commendationis hoc loco ab se et ab scholiasta quoque accipit qui adnotavit: »ne te difficilem praebeas» hoc praeferendum censeo.

[26]) Faernus in libro Bembino scriptum esse *necessus* v. 28 diserte et plane fidem fecit. In scholiorum Terentii farragine haec sunt: »Nisi quia necesse fuit: necesse est nomen. Nam *necessus necessis* et *necessitas* et *necessum* lectum est.» Bentleius qui de suis codicibus nihil memoriae tradidit, ita ut a Bembino hac in re videantur non recedere, mavult *necessum* cum ita saepe apud Plautum

legatur. Est utique haec forma Plauto usitata et Lucretio (conf. II, 466; IV, 120, 1001 al.), affertur a Charisio II, p. 186 ex Afranii Vopisco (apud Both. p. 196), inveniturque apud Livium adeo (conf. Drakenb. ad XXXIX, 5, 9). Equidem tamen cum multa eiusmodi nomina varie terminari et inveniri sciam *eventus* et *eventa*, *conatus* et *conata* aliaque eiusdem generis (conf. Gell. N. A. XIII, 20), in auctoritate Bembini codicis eo magis hic acquiescendum esse existimo cum ipsum illud *necessus* reperiatur in Senatus consulto de Bacchanalibus a. u. c. 568 in quo scriptum est: »Sei ques esent qui sibei deicerent *necesus* ese Bacanal habere cet.« Conf. Livii edit. Draakenb. quae Stutgardiae prodiit T. XV, P. 1, p. 378, et Steph. Endlicher. Catal. codd. mss. bibl. Palat. Vindob. Vindobonae 1836. — Id autem sane mirari subit quod Bentleius v. 31 cum in nonnullis suis libris diversum a codice Bembino verborum ordinem invenisset certissime reponendum esse praecepit: *Quamobrem aliquid aegre faceret iis.* Hoc modo scribi potuisse non opus erat exemplis probare. Utitur autem hic vir non raro fallaci illo artificio, ut sua ipsius inventa potius tueatur, quam librorum fide quae comprobata sunt locum habere non posse declaret. Id quidem si verbis quae addidit: »*Aliquid mali insigne* ne Latinum quidem est« effectum esse putat, satis leviter aut fraudulenter egit, cum Terentio subiecerit quod eius non est.

[27]) Nannium Miscell. c. 10 et Lessingium l. c. p. 440 sq. (sive p. 327) minus recte fecisse quod repositari erant *Diphilum Menandri* loco viderunt iam Meinek. Men. et Phil. reliq. p. 2 et Grauert. l. c. p. 133.

[27 b]) Ita emendandum esse Meinekius iam vidit Fragm. Com. Graec. vol. IV, p. 710, et patet e testimonio Phot. lex. p. 230, 11: *εἰώθασι τὸν πρὸ θυρῶν ἱδρυμένον βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος Λοξίαν καὶ Ἀπόλλω προσαγορεύειν καὶ Ἀγυῖα.*

[28]) Quae in editionibus adhuc leguntur corrupte: »Hoc extra etiam hanc potestatem Junoni attribuitur« hunc in modum corrigenda esse: »Obstetriciam potestatem Junoni attribuit« iam dudum viderunt Schopenus et Dübnerus. Conf. Meinek. l. c. p. 82.

[29]) Non. p. 108: »Edusam et Potinam deas praesides vult haberi puerorum Varro.« Conf. Hartungi relig. Roman. II, p. 241.

[30]) Hoc loco scienter et consulto Terentium, *ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet,* ab Apollodoro paululum recessisse scholiasta dicit, alias autem hoc ut *ἁμάρτημα κωμικὸν* (conf. ad Eun. II, 2, 26) vituperat, et Graecos mores instituta verba ubi diligenter in suis fabulis expressit poeta Latinus hoc magis probandum esse censet. Conf. ad Phorm. I, 1, 15. Quid quod in vita Terentii adeo legitur (p. IX ed. Klotz.): »Post editas comoedias nondum quintum atque trigesimum egressus annum causa evitandae opinionis quia videbatur aliena pro suis edere, seu *percipiendi Graecorum instituta moresque quos perinde exprimeret in scriptis* egressus urbem est neque amplius rediit.« Tam perversa horum hominum fuerunt iudicia.

[31]) Apud Graecos *κουρεῖα* eorum celebritate et frequentia erant refertissima qui circulos aliquos et sessiunculas tempus iucunde fallendi sermonesque habendi causa consectabantur. Conf. Lys. *ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου* p. 754: *ἕκαστος γὰρ ὑμῶν εἴθισται προσφοιτᾶν ὁ μὲν πρὸς μυροπωλεῖον, ὁ δὲ πρὸς κουρεῖον, ὁ δὲ πρός σκυτοτομεῖον ὁ δ' ὅποι ἂν τύχῃ.* Aristoph. Plut. 337; Av. 1439; Plut. Symp. V, 5 T. III, p. 781 Wytt.: *Διὸ καὶ Θεόφραστος ἄοινα συμπόσια παίζων ἐκάλει τὰ κουρεῖα διὰ τὴν λαλιὰν τῶν προσκαθιζόντων,* et quae exposuit G. A. Beckerus Charicl. vol. I, p. 253 et vol. II, p. 384. Neque tamen Terentius de tonstrina quod hic locutus est a suorum popularium more descivit. Ita enim schol. Porph. ad Hor. Serm. I, 7, 3: *opinor omnibus et lippis notum et tonsoribus esse,* scribit: »Adeo ait divulgatum esse quibus modis insectatus sit Persius Rupilium, ut et in tonstrinis haec et medicinis narrata sint. Fere autem in his officinis otiosi solent considere ac res rumoribus frequentatas fabulis celebrare.«

[32]) Neque hoc est Romanorum consuetudini contrarium. Quem ad modum enim haec virgo iam matura viro, ita Liv. III, 44 Virginia quoque Icilio desponsa in litterarum ludum itat. Conf. Niebuhrii hist. Roman. II, p. 393 edit. II.

[33]) Bentleii auctoritas facit ut de scriptura versuum qui leguntur Heaut. II, 3, 49 et 50 paulo accuratius agatur. »Ceterum pro *capillus passus* tres ex nostris pro varia lectione at in ipso textu duo *sparsus*. Accedat Ausonii auctoritas in fine Idyll. XII:

Totum opus hoc sparsum crinis velut Antiphilae, pax.

Hinc certum est legisse eum *capillus sparsus*. Propert. II, 1:

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos.»

Ita Bentleius qui graves iam causas adesse arbitratus est ut ipse illud *sparsus* reciperet. Illi autem codices mihi non ita multum valere videntur prae reliquis tum numero tum auctoritate longe superioribus, nec Ausonius momentum facere potest, cum severe si agere velis neque *sparsi* neque *passi capilli* testimonium det. Comparat *opus sparsum Antiphilae capillo* qui cum sit *passus prolixus circum caput reiectus neclegenter* sparsus utique est. Hic igitur uno verbo significavit tribus quod elatum est a Terentio. Huc accedit quod ni fallor *opus passum* ne Latine quidem dici potuit. Ausonius autem etiamsi diserte *capillum sparsum* memorasset, non ita multum soli eius testimonio tribuerem, cum multis exemplis perspectum habeam alias quoque et hunc scriptorem et multos alios in simili re lapsos esse memoria, id quod ne hodie quidem omnes satis semper respiciunt, quamque Bentleio plus semel erroris causam fuisse data occasione pluribus exponam. Statim Ausonius *Lud. sept. sapient. Pittac.* v. 5 sq.:

Romana sic est vox: venito in tempore.
Vester quoque ille comicus Terentius
Rerum omnium primum esse tempus autumat
Ad Antiphilam quo venerat servus Dromo
Nullo impeditam temporis servans vicem.

Respicit Terent. Heaut. II, 3, 123:

In tempore ad eam veni quod rerum omnium et
Primum.

Non sunt autem haec Dromonis sed Syri verba. Maioris momenti in hac re mihi videtur esse ipsius Terentii auctoritas qui in simili re scribit Phorm. I, 2, 55 et 56:

Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem,
Capillus passus.

Maiore iure videri potest idem Bentleius reposuisse loco adiectivi *prolixus* aliud *promissus*. Non raro enim hoc cum illo permutatum esse invenimus a librariis. Conf. Virg. Eclog. VIII, 34; Ovid. Trist. IV, 2, 34; Liv. II, 23, 4; V, 41, 9; Nep. Dat. c. 3. Quibus locis cum codices inter se non consentiant, nunc quidem illud *promissus* ab editoribus fere omnibus praelatum est. Atque sunt sane *promittere barbam capillum*, et *comae barba capillus promissus* tritissima. Scripsit tamen Colum. VII, 3, 7: *ovem eligas bimam vasti corporis cervice prolixa prolixi villi;* Varro R. R. II, 2, 3: *Oves — oportet — caudis observare ut sint in Italia prolixis in Syria brevibus.* Quae cum ita sint nullam equidem video causam quam ob rem *capillus prolixus* prorsus hoc loco movendus sit cum, id quod probe tenendum est, nullus quantum scio liber manu scriptus ne infimae quidem classis illud *promissus* praebeat, ut iam hanc quoque scripturam contra Bentleii auctoritatem retinendam esse censeam.

[34]) Quae in Menandreis reliquiis Euripideae imitationis vestigia reperiuntur sedulo indicavit Meinekius Fragm. Com. Gr. vol. IV, p. 705 sq.

[35]) Est hoc postremum in Platonis Phaedrum scholion, quod ubi de origine illius proverbii: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων* pluribus idque verbis scriptorum qui commemorantur allatis expositum est ita finitur: *καὶ Μένανδρος ἐν Ἀδελφοῖς β'*. Hunc in modum verba leguntur apud Bekkerum. Adnotavit tamen, *μ. ἐνδελφοῖς* esse in Venet. codice quem signavit *Ξ*, et *μ. ἀδελφοῖς ἐν* in Paris. codice litera *B* signato. Meinekius Fragm. Com. Gr. vol. IV, p. 72 hac qua Bekkerus uti solet brevitate in insignem errorem se induci passus est dum scribit: »In his *β'* unus Bekkeri codex omittit alius habet *ἐν B.*» Mihi quidem satis probabile est scholiastae verba non integra exstare, sed in fine aliquid excidisse. In eadem sententia esse Ritschelium ex iis cognovi quae scripsit Mus. Rhen. a. 1841 p. 43.

[36]) Conf. quae de hac re scienter dixit A. G. Schlegel. vir nobilis *de art. et litt. dram.* I, p. 48 sq.

[37]) Conf. Terent. Hec. prol. I, v. 4 sq. et prol. II, v. 25 sq. Perversum hoc studium posteris temporibus vi-

guisse atque sustentatum esse patet ex Hor. epist. II, 1, 178 sqq.; Cic. epist. ad Fam. VII, 1; Suet. Oct. 43.

[38]) Cautio quaedam ut hoc semel dicam adhibenda est, ne scholiastae verbis in errorem nos induci patiamur. Non raro enim fit ut ad Terentium aliquid referre auctorem videatur, quod quin eodem iam modo dictum vel institutum fuerit a poeta Graeco quem Latinus sequitur dubium esse non potest. Eiusmodi quis non videt illud esse quod inter Terentii laudes ab Euanthio commemoratur (p. XIV ed. Klotz.): »Tum personarum leges circa habitum aetatem officium partes agendi nemo diligentius Terentio custodivit. Quin etiam solus ausus est in fictis argumentis cum fidem veritatis assequeretur etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere, quibus tamen cur bonae sint et voluptas per ipsum et causa non desit.» Respicitur Hecyra fabula ad quam inter alia Donatus in eandem plane sententiam haec praefatus est: »In tota comoedia hoc agitur ut res novae fiant nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim benevolae socrus verecunda nurus lenissimus in uxorem maritus et item deditus matri suae meretrix bona.» Eadem inculcantur Hec. V, 2, 8: »Multa» scribit ibi scholiasta »Terentius feliciter ausus est arte fretus. Nam et socrus bonas et meretrices honesti cupidas praeter quam pervulgatum est facit. Sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subiungit ut ei soli merito videantur omnia licere.» Nemo autem in animum inducet hinc efficere Terentio id prae Menandro aut Apollodoro proprium esse. Eiusdem generis quin sint mihi dubium non videtur quae ad verba Eun. I, 2, 63 et 64: *Sed ego quantum suspicor ad virginem animum adiecit.* Ph. *Etiamne amplius?* Th. *Nihil, nam quaesivi,* adnotata legimus haece: »Munde Terentius ut solet res huius modi per eclipsim suam,» et deinceps: »Optime purgavit Terentius quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chaerea; optime ergo defenditur tamquam quae honeste nuptura est.» — Eunuch. III, 5, 40 si scholiasta scribit: »Philosophice nunc Terentius demonstravit quam cladem moribus hominum et civitatibus afferant

figmenta poetarum cum exempla scelerum afferant," nemo sane qui consideraverit qua verborum rerumque continuatione illud ad quod scholiastae adnotatio referenda est contineatur cum eis quae antecedunt et proxime insequuntur in eam incidet opinionem, ut putet Terentio hoc deberi a Menandro non acceptum. Eiusdemque generis videri quoque possit quod Terentii verbis Adelph. IV, 2, 2: *Praeterea autem dum illum quaero a villa mercenarium vidi,* scholiasta addidit: "Sapientissime Terentius etsi proxima villa est necessario (leg. necessarium) senem ad reliquos actus fabulae noluit ab urbe discedere personae senilis memor. Nam et arduum fuerat dum redit, et cruciabile, ne fatigatio eius in tragoediam transiret. Recte igitur invenit a mercenario illi in urbe narratum ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adolescentis et proficiscitur ad villam et continuo redit ut in Eunucho Phaedria." Atque huic sententiae video aliquod argumentum vel inde peti posse quod ne Graecus quidem poeta locum actionis in Ἀδελφῶν fabula mutavit. Conf. quae bene in hanc rem contra Meinekium olim Menandr. et Phil. reliq. p. 3 aliter iudicantem nunc Fragm. Com. Graec. vol. IV, p. 76 in viam reductum disseruit Grauert. l. c. p. 143 sq. Quo minus tamen putem laudem huius optime ut scholiastae videtur institutae rei Terentii ingenio tribui quae re vera Menandro inventori debeatur me impedit totius scholii ratio. Ne autem videar eo ipso revolvi unde me abduci facile passus sum, necesse est quo modo rem se habere ipse putem atque cum Grauerto consentiens idem ab hoc et ut nunc video ab Ihnio quoque l. d. p. 21 dissentiam paulo accuratius a me indicari. Demea qui Ctesiphonem filium audiverat una fuisse in raptione cum Aeschino fratre magna sollicitudine rure in urbem venit (III, 3, 1 sq). Syro autem servo asseverante illum a se rus productum esse ipse iam se recta rediturum esse dicit (ibid. v. 79 sq.). Hoc ipso temporis momento procul videt Hegionem tribulem a quo certior fit quod nam facinus indignum atque in liberale Aeschinus perpetraverit. Indignabundus iam fratrem requisiturus est ut in hunc iram suam evomat (III, 4, 65). Prodit

autem Demea IV, 2, 1 sq. atque se nusquam fratrem invenisse dicit et praeterea a villa mercenarium vidisse qui filium ruri esse negaret. In hac igitur re a Terentio aliquam eius quod apud Menandrum erat mutationem factam esse, neque personam mercenarii apud poetam Graecum exstitisse arbitror, sed ab hoc rem hunc in modum esse adornatam. Demea postquam aliquantisper fratrem frustra quaesivit tum urbis taedio captus (I, 1, 20) tum unice de filio anxius ac sollicitus in villam urbi proximam revertitur, ubi cum Ctesiphonem non invenisset, maxima festinatione et trepidatione retro fertur, quod ipsum metuit Ctesipho IV, 1, 7 sq.:

Et illud rus nulla alia causa tam male odi nisi quia propest;
Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum.
Nunc ubi me illuc non videbit iam huc recurret, sat scio.

Iam hanc in fabula Menandrea rerum fuisse rationem si statuerimus, neque locum quo personae agentes et loquentes inducuntur mutatum esse apparet, et ita demum illud scholion quid sibi velit mea quidem sententia perspicuum est. Si quis autem haec utcunque probabiliter disputata eo putet dubitationi obnoxia fieri atque infirmari, quod scholiasta illam rationem indicaturus morem quo alias eum fere in simili re usum esse scimus haud dubie retinuisset, ut mentionem poetae Graeci verbo saltem iniecisset, rem meam non ita tueri libet ut negligentiam et socordiam scholiastae causer, sed id satis apertum mihi videtur eo tempore quo integrae exstabant Menandri fabulae suffecisse, eis quorum intererat tale quid significasse, id quod non ita obscure verbo illo invenit factum esse putamus.

39) De integritate scholiorum quae Hec. V, 3, 27 et Eunuch. III, 4, 1 adscripta sunt ab Ihnio p. 20 sq. addubitatum est. Atque ut persuadeat verba: *Nam in Graeca haec aguntur non narrantur,* non profecta esse a Donato, sed a magistro quodam addita, qui voluerit breviorem paulo et obscuriorem Donati adnotationem: *Brevitati consuluit Terentius,* explicando supplere, ita disserit p. 23 sq.: »Quid? hocine credibile? ea quae ante decem menses et

in domo meretricis facta sunt aguntur in Graeca fabula non narrantur! Tam hoc ineptum est, ut verbis in eo refellendo parcere liceat.» Equidem quoque ad haec refellenda non iam multis verbis opus esse credo, cum prava nitantur scholiastae verborum interpretatione, id quod patebit ex iis quae ipse supra disputavi. Eodem modo verba Eunuch. III, 4, 1: *Ut apud Menandrum* additamentum esse opinatur hominis qui Donati verba: *Bene inventa persona cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur* ad Terentium referens nihil magis crediderit esse consentaneum, quam quod Latinus poeta invenerit, eo caruisse Graecum. Scio equidem eos qui sinceris Donati verbis sua adspergebant fuisse homines ineptos futiles male doctos. Est autem fraudulenter et mala fide agentis, rem affirmare, cuius prorsus nullam habeat notitiam. Hanc autem notam non puto istis hominibus esse inurendam. Itaque cum diserte et simpliciter affirmari videam, Terentium hic a poeta Graeco recessisse, ei qui huius rei mentionem iniecit fidem non temere derogandam esse censeo. At si Antiphonis personam apud Menandrum non inventam esse statuerimus, tanta pars eius quae sequitur scenae Terentio tribuenda erit, quantam hunc nunquam de suo dedisse Ihnius iudicat, cum Terentii iam proprios esse versus viginti quinque existimet. Terentium proprio ut aiunt Marte tot versus, si ad *οἰκονομίαν* fabulae ut ipse eam facturus erat hoc commodum et necessarium esse putabat, scribere non potuisse nemo facile dixerit. Quod si autem apud Menandrum Chaerea non convenisset in scena Antiphonem, cui res intus gestas narrare posset, equidem non perspicio unde numerus viginti quinque versuum qui Terentii proprii sint confici possit. Quae enim Antipho solus Act. III, sc. IV loquitur aut omnino aut magna ex parte e fonte Graeco quin manaverint mea quidem sententia dubitari nequit; quibus autem scena proxima sermonem Chaerea distinguit, si discesseris a v. 9—15, ea fere duobus tribusve verbis constant, qualia sunt: *Ain tu? Quid id est? Pro Eunuchon?* Maior videri possit difficultas inde exsistere quod, si Antipho apud Menandrum in scena non comparuisset,

Chaereae idonea opportunitas et occasio abeundi vestemque quam primum mutandi deesset. Sed haec quoque facile et satis probabiliter mihi videntur hoc modo expediri posse. Ubi Chaerea intus gesta exposuit, heri aliquot meminit adolescentulos coisse in Piraeo, ut de symbolis essent, seque ipsum ei rei praefectum esse. In quo numero cum Antipho quidam esset, quem in propinquo habitare fingitur, se iam ad hunc iturum esse dicit, ut vestem mutet, et apud libertum Discum de symbolis omnia esse parata indicet, simulque consilium capiat quo pacto possit amata potiri.

[40]) Ne quis putet a me cupidius hic quaedam Grauerto subiici, ipsius verba quae leguntur l. c. p. 121 transscribere iuvat. »*Man versteht also den Sinn selbst der Gegner des Terenz falsch, wenn man glaubt sie hätten mit dem* multas contaminasse Graecas *und* contaminari non decere fabulas *ein* »*Besudeln*» *bezeichnet.*»

[41]) Porcius Licinius si dixit ut Gellius N. A. XVII, 21, 47 memoriae prodidit:

Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram,

non tam cogitavit de primo initio per Livium Andronicum inprimis facto, quam de eo tempore ubi laetioribus auspiciis Musa non iam tardo et lento incessu sed pinnato gradu advenit.

[42]) Conf. Strabo VI, p. 282: Ῥωδαίων πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ὁ ποιητὴς Ἔννιος. Cic. de Orat. III, 42, 168: *Nos sumus Romani qui fuvimus ante Rudini,* quem hexametrum ex ipsius Ennii Annalibus esse liquet. Mela II, 4, 61: »Ennio cive nobiles Rudiae,» Silius XII, 393—397. Ausonius *Grammaticomast.* v. 17. Erravit igitur Hieronymus dum Chronic. Olymp. 135 scribit: »Q. Ennius poeta Tarenti nascitur.» Huius autem erroris haud scio an coniectura non ita improbabili origo possit inveniri. Ennius enim natus Rudiis celebre opulentumque Tarentum videtur transmigrasse ibique per aliquod tempus commoratus esse. Hoc certe Pacuvium Brundisinum fecisse scribit Hieronymus Chron. Ol. 156, 3. Et cum Pacuvius ex testimonio Plinii H. N. XXXV, 7 fuerit *Ennii sorore*

genitus (neque vero ut idem Hieronymus falso memorat *ex filia nepos*), Ennium si Tarenti domicilium iam posuisse dixerimus, hanc ipsam Pacuvio ut in illam urbem transgrederetur praeter alia causam fuisse haud inepte mihi videtur statui posse. Quamquam hoc non ita intelligi volo ut illud Ennio vivo factum esse existimem. Nam Gellius N. A. XIII, 2 memoriae tradidit Pacuvium grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectum Tarentum ex urbe Roma concessisse. Non sine voluptate quadam nunc video Welckerum quoque virum egregium in hac esse sententia. Conf. eius lib. »tragoed. Graec. ad cycl. epic. dispos.» III, p. 1337.

[43]) De Tarento scribit Plaut. Menaechm. prol. 29 et 30:

Tarenti ludi forte erant cum illuc venit,
Mortales multi ut ad ludos convenerant.

Tarenti natus erat Hegesippus comicus, qui Athenis versabatur, et tragoedus quidam quem ex inscriptione Orchom. cognovimus. Conf. Welcker. l. c. et Heynii opusc. acad. II, p. 226.

[44]) Graecus adeo dicitur Ennius apud Fest. v. *Solitaurilia.*

[45]) Conf. quae de nova quae dicitur comoedia egregie exposuit Od. Mueller. hist. litt. Graec. II, p. 270 sq.

[46]) Conf. Plaut. Asin. prol. 11:

Demophilus scripsit, Macciu' vortit barbare.

De nomine Maccii conferantur quae nuper docte exposuit Ritschelius *Meletem. Plautin. specim. onomatol.* Trinum. prol. v. 19:

Philemo scripsit, Plautus vortit barbare.

[47]) Conf. Steive *de rei scenicae apud Romanos origine* p. 88 sqq.

[48]) Diderotus Francogallus non aliter iudicavit. Conf. liber eius qui inscribitur: De la poesie dramatique, vol. III p. 239 sq. ed. Amstelod.

[49]) Bentleius quod per coniecturam scripsit: *Non ita dissimili sunt argumento et tamen* impugnavit G. Hermannus Opusc. II, p. 268—271, qui ipse illud *et tamen* sive in *tamen* sive in *attamen* abire iussit. Klotzius denique

in sua Terentii editione dedit: *Non ita dissimili sunt argumento set tamen,* ictuum quos addidit positione significans primum pedem metricum quattuor constare syllabis. Equidem in ea existimo scriptura acquiescendum esse quam Fr. Ritterus reposuit nec codicum fide nec ratione probabili destitutam. Conferantur quae vir egregius in sua Andriae recensione adnotavit.

[50]) Dissentiunt inter se viri docti, quo loco v. 13 interpungendum sit. Etenim antiqui Terentii editores cum id fere post verbum *convenere* fecerint, aliter visum est Grauerto l. c. p. 173 post *Andriam* distinguenti. Ihnius autem priorem rationem retinendam aut post *Perinthia* incidendum esse censuit p. 7. Equidem tamen cum illa *in Andriam* sententia aeque cohaereant cum verbo *convenere*, ac cum verbo *transtulisse* omnem distinguendi notam removendam esse arbitror. Est hoc genus a Grammaticis *ἀπὸ κοινοῦ* dictum, quod apud Graecos et Latinos scriptores longe patere non ignotum quidem est, ab omnibus tamen non semper satis observatum. Conf. quae Ochsnerus dixit Cic. Eclog. p. 23 (ed. II.) et Dillenburgerus Quaest. Horat. p. 27.

[51]) Video nunc Ihnium l. c. p. 10 sq. conatum esse haec scholiastae testimonia quae ad Terentianae Andriae rationem quam maxime spectant suspecta reddere atque fidem derogare. Satis captioso quidem disputandi genere usus est in iis quae scholiasta adnotavit ad Andr. II, 1, 1: »Has personas (Charini et Byrrhiae) Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum, ne *τραγικώτερον* fieret, Philumenam spretam relinquere sine sponso Pamphilo aliam ducente.« Ita enim scribit: »Vide quam luculentam rationem exhibeat scholiasta cur poeta Latinus Charinum addiderit *ne τραγικώτερον fieret Philumenam spretam relinqui.* Itane vero? An forte Pamphilus quoque additus est ne Glycerium spreta relinquatur? Luculenta sane ratio et probabilis. Scilicet timore exagitantur spectatores et anxietate de ea virgine, quae neque amare Pamphilum narratur, nec absque Charino esset a quoquam amaretur. Scimus autem nunc Heautontimorumenon quae ad hunc diem

pro comoedia habebatur re vera esse tragoediam; exitus certe τραγικώτερος est quia Panocratae filia spreta relinquitur (V, 5, 17 sq.). Hoc quoque novum nunc disci potest, Romanos tam humano et molli animo fuisse, ut quod Graeci aequo animo spectarent i. e. sperni virginem quae semel in fabula nominata erat, id Latinus poeta crederet esse mitigandum. Vides quam hoc sit absonum ne dicam ineptum.» Cum tantas difficultates illud τραγικώτερον attulerit, forsitan non ita laboratum esset in scriptura ἀποθέατον quam non sine codicum auctoritate recepit Lindenbrogius defendit commendavitque Duebnerus in Seebodii Bibl. Crit. a. 1829 p. 478. Sed ne τραγικώτερον quidem si is, a quo iam pridem promissum persanatumque vehementer exspectamus scholiastam, hoc a libris maiorem habere auctoritatem docuerit reiiciendum esse existimo. Neque enim ita raro scholiasta simili dicendi genere usus est, nec quam ei vim subiecerit in obscuro est. Conf. Euanth. *de tragoed. et com.* (p. XIV ed. Klotz.): »Haec cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et morem retinuit ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, *ne in tragoediam transiliret.*» Phorm. prol. v. 5: »Imperitum inducit criminatorem, qui hoc obiiciat quod proprium debet esse comici stili. Re vera autem hoc deterior Menandro Terentius iudicabatur, quod minus sublimi oratione uteretur, quod ipsum nunc purgat dicens *in tragoedia* (leg. *tragoediam*) *altiora transire posse.*» Adelph. IV, 2, 2: »Sapientissime Terentius etsi proxima villa est, necessarium senem ad reliquos actus fabulae noluit ab urbe discedere personae senilis memor. Nam et arduum fuerat dum redit, et cruciabile, *ne fatigatio eius in tragoediam transiret.*» Neque mirum esse non potest quod Ihnius haesit in scholiastae verbis: »Has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum.» Chârini enim et Byrrhiae partes cum e Perinthia Menandri translatae essent, id quod Ihnius ipse recte perspexit, Terentius utique Andriae Graecae has personas addidit. Et scholiasta cum id fere faciat ut comparatione inter poetam Graecum et Latinum instituta rationem tantum habeat eius fabulae

quam potissimum ac maxime Terentius secutus est: ne id quidem mihi videtur ullam dubitationem iniicere, quod apud Menandrum illas personas esse negavit cum ab huius Andria Terentianae fundamento abesse sciret.

Quem ad modum in his magistellum quisquis fuit hariolatum esse Ihnius opinatur, ita fidem eorum quae ad Andr. prol. v. 13 adnotata sunt: *Quae apta et commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Graecam, fatetur transtulisse. Sed quare se onerat Terentius cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur: quia conscius sibi est, primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto, at in Andria Menandri solus senex est;* infringere conatus est, quod non sana et probabili quadam ratione parumque feliciter factum esse puto. Huic enim adnotationi alteram quae prol. v. 10 adscripta est: *Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andria scripta est; cetera dissimilia sunt exceptis duobus locis altero ad versus XI, altero ad versus XX, qui in utraque fabula positi sunt*, oppositam esse pronuntiavit, et cum horum scholiorum posterius nihil haberet quod suspicionem posset aut dubitationem movere, prius omnia prae se ferre videri indicia subditicium esse. Hominem enim esse ineptum qui monendum esse arbitretur non in Graecam Andriam sed in Latinam a Terentio ea quae apta et commoda fuerint translata esse. Hoc autem nisi quis eam ab scholiasta in verbis sententiisque diligentiam atque subtilitatem postulat, quae neque illa aetate nec ab istis hominibus recte exspectari possit, non ita premendum et tam graviter vituperandum erit. Id saltem non recte fieri puto si quis hoc quidem loco propter dicendi genus ea quae memorantur suspecta redditurus sit. Ihnius autem non lenius de reliquis iudicavit. Nil opinatur ineptius esse illa interrogatione: *Sed quare se onerat Terentius cum possit videri de una transtulisse?* Puerilem esse pronuntiat quae sequitur responsio, denique haec omnia ad acumen ingenii exercendum a magistro quodam inventa arbitratur. Nolo equidem alias eius modi interrogationes proferre; id autem vellem nos edocuisset Ihnius qua

causa commotum fuisse putaret scholiastam, ut singula quamquam a vero prorsus abhorrerent tam accurate et tanta cum fidei specie persequeretur quam hoc factum est verbis: »Quia conscius sibi est primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto, at in Andria Menandri solus senex est.» Multa inveniri scio apud scholiastas et Graecos et Latinos quae omnino falsa esse et commenticia constat, sed horum ipsorum origo et causa indagari fere potest. Quid tandem huic narrationi si non veram habemus locum dedisse excogitari posset aliud, nisi illum qui talia comminiscebatur impudentissime dedita opera fraudem fecisse? Equidem autem a me impetrare non possum, ut hanc labem scholiastae Terentiano adspergam. Ihnius vero diligentius quae scholio narrantur considerando aliis rationibus opinionem suam confirmari studet persuadere. Secum enim pugnare, primam scenam Perinthiae paene iisdem verbis scriptam esse quibus Andriae, et in Perinthia senem cum uxore locutum esse, in Andria solum fuisse senem. Nemo id quidem non concedet, principium utriusque fabulae fuisse aliqua ratione diversum, cum ipse Terentius dixerit *dissimili oratione esse factas ac stilo.* Atqui si in Andria fabula, quam prius scriptam esse demus, a Simone solo argumentum narratum est, iam per se veri simile est a poeta satis commode in Perinthiae principio προτατικὸν πρόσωπον induci potuisse. Talis igitur fuit apud Menandrum Simonis uxor. Haec ipsa autem cum sit persona adventicia propter evolvendam argumenti obscuritatem recepta, fecit magis, »ut sine fastidio longus sermo esset ac senilis oratio,» (vid. schol. ad Andr. I, 1, 1) quam ut hanc ipsam multum ab eis quae senex prima Andria loquebatur diversam redderet. Et cum argumenti narratio, quod huius scenae caput est, sine dubio nihil fere immutata esset, Grauertus recte vidit scholiastae verba: *Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andria scripta est,* ita esse accipienda, ut illa ipsa ratio respiciatur, quod equidem non video nisi subtili quodam

artificio fieri non posse. Atque eadem sententia dictum putes illud: *Ubi* (in prima Perinthiae scena) *senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto.* Primi enim viginti versus cum ad summam rei nihil fere pertineant, momentum sane facere non possunt. Quae interloquitur Sosia tantum abest ut a persona mulieris possint prorsus aliena iudicari, ut orationi matris admodum videantur convenire talia quale v. 78: *O factum bene. Beasti; hei metui a Chryside;* et v. 100: *Quam timeo quorsum evadas.* Denique cum nullo modo mater potuerit ea filii facta ignorare quae Simo cum liberto communicet ne illud quidem verum arbitratur Ihnius quod dicit scholiasta in Graeca fabula cum uxore senem confabulatum esse. Hoc autem modo disputans neque ille respexit quid poetae liceat, nec qua condicione usae sint mulieres apud Graecos et Romanos. Nihil igitur eorum quae in contrariam partem disputavit probandum esse censeo, scholiastaeque sive Donatus fuit, sive alius quis fidem habeo, in Andria Menandri solius senis fuisse narrationem argumenti rerumque ante actarum, in Perinthia senem cum uxore collocutum esse. Latinus autem poeta existimavit suam fabulam qui spectatum venirent eis neque longum Simonis sermonem nullo interpellante, neque uxorem in scenam productam placituram esse. Itaque utrumque paulum immutavit proprio ut aiunt Marte, vel si quis forte Terentio non eam animi sollertiam neque eam inveniendi vim concesserit, locum quendam interpretans alibi apud Menandrum inventum. Atque in hac re diiudicanda id ipsum non prorsus omittendum est, Terentium initio fabulae ab exemplari Graeco plus semel paululum recessisse. De Adelphis id Varronis testimonio constat. Conf. quae supra dixi p. 14 sq., et Eunuchi Menandreae principium in Latina contractum esse in brevius acute vidit Od. Muellerus hist. litt. Graec. II, p. 276.

Postremo paucis expediendum est quod satis quidem leve videri possit. Illa scholiastae verba: *Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andria scripta est,* Grauertus l. c. p. 174, nisi quis forte minus accurate

dicta esse putaverit, emendanda mutetur in *Andriae*, aut addatur praepositio *in*. Illud Ihnio quoque visum est p. 8. Non oportuit autem hos haerere in eo loquendi usu, qui omnibus fere et Graecis et Latinis scriptoribus communis est, quem uno Ciceronis loco illustrasse sufficiet Tusc. Disp. I, 1, 2: »Iam illa quae natura non litteris assecuti sunt (Latini) neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda.» Conf. si commodum est quae ibi pluribus exposuerunt interpretes.

A loco ubi haec commentatio prelo subiecta est cum satis remoti simus, factum est ut aliter ac volebam neque ea, quae eadem aut similia sunt, semper eadem quoque aut simili ratione ab operis describerentur, neque omnia satis emendate. Nonnulla huius generis in quae forte incidi, nam omnia accurate iam recognoscere et excutere non potui, non praetermittam hic indicare. P. 9, l. 21 et 22 leg. scri-ptores; p. 15, l. 39 leg. Lessingius; p. 18, l. 20 leg. *Μειδύλος;* p. 22, l. 34 leg. *μυῤῥίνας*; p. 26, l. 19 leg. *Εὑρετικὸν;* p. 31, l. 35 leg. repperisse; p. 34, l. 17 leg. vellem; p. 41, l. 17 leg. contaminabant; p. 45, l. 20 leg. quo modo; p. 46, l. 2 leg. *δὲ*.

Si quibusdam aliis erratis quae sublata non sunt attentus ac diligens lector paululum se turbatum atque impeditum sentiat, spero fore ut ea sibi iam corrigat ipse.

Scribebam Monasterii Eifl. a. 1843.